HOROLOGIUM CHRISTIANUM.

CUI
Annexum est OFFICIUM Viri SAPIENTIÆ Studiosi.

BIBLIOTHECA BODLEIANA

OXONIÆ,
Typis L. Lichfield. 1689.

HOROLOGIUM

CHRISTIANUM

AMORI

SACRUM

Amicorum, ac Cognatorum

UM Viri SAPIEN

DITE Studioli

AMORI SACRUM.

DOmine *Pater & Deus vitæ meæ qui mensurabiles posuisti dies meos, & substantiam meam tanquam nihilum ante te; pudebat me tantum temporis à te acceptum perdidisse, bonasque horas malè aut inutiliter saltem collocasse: dolebam non fabros tantum & colonos, sed mortales in unum omnes tam vili pretio* Horas *suas vendere: sentiebam* Horologia *frequentes mundi & voluptatum, raros pietatis nuncios: videbam quoque forte* Horologium Amatorium *malo publico conscriptum editumque.*

Quid facerem ego? Horologium *mihi* Christianum *fabricani, nec infidelem, nec nimium importunum Monitorem. O utinam ab eo monitus omni hora & loco, die noctuque, Te* PATER *ubique, & semper Praesentissime, in quo* vivo moveor *&* sum, *digne recordari, Tibi servire, Tecum magis ac magis,* Amoris *vinculo, in infinitum* uniri *possim. O quam velim, ut non mihi tantum, sed unicuique Te profitenti ac adoranti, sonitus quisque* Horarius *dicat* MEMENTO VIVERE, *Vive* Deo, *Vive* Tibi, secundum mentem *vive: nec auribus increpare desinat* MEMENTO MORI, *morere* Mundo, *Morere* Carni: *omnibusque vitae horis nullus non* pulsus *Te* ORARE, *Tibi* CREDERE, *Te* MEDITARI *moveat.*

Sit omnis Hora, *sit vita mea Dei meditatio atque contemplatio.*

HO-

+ ab. Nov. 30. 1692. æt. 24.

HONORATISSIMO

VIRO AC

DOMINO,

JOANNI Dno STAWELL,

BARONI DE

SOMERTON,

Ad DEI Gloriam,

ET

Heroicæ Pietatis Incrementum,

HOROLOGIUM

Hoc

CHRISTIANUM,

Quale quale sit, Sincero Affectu.

D. D. C.

F. L.

ERRATA.

Præf. *line* 4. poſt *ante* deeſt *Te*. *Pag.* 10. Aph. 50. *lege* abductionem. *p.* 15. Aph. 73. *l.* 7. *lege* neceſſario. *p.* 91. *l.* 10. exaudire. *p.* 108. *l.* 1. ſuppoſitio. *p.* 133. *l.* 25. deſcendi. *p.* 136. *l.* 8. creaturarum. *p.* 146. Aph. 9. *l.* 4. intellectivus. *p.* 153. *l.* 4. poſt *vera* dele punctum. *p.* 157. Aph. 2. *l.* 1. poſt *Deum* deeſt *in*. *p.* 159. Aph. 14. poſt *Suarum* deeſt *uſum*. *p.* 171. *l.* 8. ne. *p.* 172. *l.* 16. uſi.

HOROLOGIUM CHRISTIANUM.

APHORISMI.

I. De *VITA*, & *MORTE*, secundum Mentem.

I.

INter Deum & Corpora Mens medium tenet.

II.

Infinita distantia inter Mentem & Corpus, illius cum corpore unionem non impedit.

III.

Infinita distantia inter Mentem & Deum, illius cum Deo unionem non impedit.

IV.

Unio mentis cum Deo est magis Naturalis, necessaria ac immediata, quam unio mentis cum corpore.

V.

Unio hæc est causa dependentiæ.

VI.

Dependentia mentis a Deo est magis naturalis, necessaria ac immediata, quam dependentia mentis a corpore.

VII.

Inferiora a superioribus legitime dependent: superiora ab inferioribus non nisi violenter.

VIII.

Corpus a mente legitime ac juxta naturam dependet: Mens vero non dependet, neque etiam dependere potest a corpore, nisi violenter & præter naturam.

IX.

Unio Mentis cum Deo potest vel minui, vel augeri: ut e contra unio mentis cum corpore.

X.

Dependentia Mentis a Deo potest vel minui vel augeri; ut e contra,

De-

Dependentia mentis a corpore.

XI.

Mens eas a Deo vires accepit, quas exercendo, se potuit, repetitis actibus, Deo magis ac magis semper unire, magisque submittere.

XII.

Non potuit mens se, per simplicem, aut repetitos actus, Deo unire atque submittere, nisi se, suosque actus determinandi potestatem acceperit.

XIII.

Mens se, suosque sive unionis, sive dependentiæ actus ab initio determinandi potestatem, non ex puro arbitrio, sed ex essentiæ necessitate accepit.

XIV.

Res quæ alicui uniuntur, (illæ quæ ante cæteras præsertim quæ per se determinandi facultatem uniuntur) similitudinem illius cui uniuntur, acquirunt.

XV.

Mens quæ ad supremi sui objecti, hoc est, Dei unionem se determinat,

divinam exinde similitudinem obtinet.

XVI.

Mens quæ ad inferioris objecti, hoc est, corporis unionem se determinat, illius similitudinem acquirit, *& quasi machina a rebus corporalibus huc illuc agitur.*

XVII.

Per unionem cum Deo mens in infinitum elevatur.

XVIII.

Per unionem cum corpore mens in infinitum deprimitur.

XIX.

Per dependentiam a Deo mens obtinet dominium super cætera omnia creata.

XX.

Per dependentiam a corpore mens subjicitur cæteris omnibus creaturis.

XXI.

Mentem noluit creare Deus, (nisi ut a se dependeat, & sibi uniatur.

XXII.

Non potuit Deus, sibi semper constans, velle aut statuere, ut hæc unio

unio minuatur, aut illa dependentia debilitetur, sed tamen

XXIII.

Talis unio fuit ab origine perfectior quam nunc est: talis dependentia negetur.

XXIV.

Illius unionis solutio non potuit oriri nisi ab ipsa mentis determinatione, quam mens sub sua potestate habuit.

XXV.

Istius dependentiæ violatio non potuit menti accidere nisi per liberam suæ dependentiæ determinationem, & voluntariam a Dei imperio subſtractionem.

XXVI.

Juxta proportionem qua unio mentis cum Deo minuitur, aucta est istius cum corpore unio.

XXVII.

Juxta proportionem qua dependentia mentis a Deo minuitur, aucta est istius a corpore dependentia.

XXVIII.

XXVIII.

Mens quæ suam cum Deo unionem disrupit, non potuit eandem instaurare nisi per separationem a corpore.

XXIX.

Mens quæ suam a Deo dependentiam violavit, eandem ut recuperet non debet expectare nisi prius corpus in ordinem cogat.

XXX.

Mens a Deo soluta, & independens, non potest omnino seipsam, propriis viribus a corpore abducere, vel illud in ordinem cogere.

XXXI.

Deus solus potuit mentem, a corpore illam abducendo, sibi rursus reunire.

XXXII.

Deus solus potuit mentem, corpus in ordinem cogendo, sibi rursus submittere. *Sic vero ut*

XXXIII.

Necessarius fuit mentis consensus, ut corpore in ordinem coacto, illa ab eo abducatur, Deoque, suo objecto, restituatur.

XXXIV. Ut

XXXIV.

Ut hoc fieri possit, constituit Deus sibi Mentem quandam, corpusque; in hanc finem propria, arctissimo nexu conjungere.

XXXV.

Deus sibi Mentem humanam corpusque, [sive creaturam cogitantem puram corpori organico unitam] conjunxit, consensu unicuique totum componendi cum eis adeo ut unius proprietates, actiones, & passiones toti compositi tribui possint. *Atque ita*

XXXVI.

Verbum caro factum est, ut nos ad illius imaginem conformati, vitam *Divinam* recuperare possimus.

XXXVII.

Vitam Divinam aliter recuperare non possumus, quam ut cum ipso uniamur, & ab ipso dependeamus, tanquam a capite nostro, adeoque per ipsum ad Dei unionem atque dependentiam redeamus.

XXXVIII.

Cum res quæ alicui uniuntur, similitudinem [per XIV.] ejus cui

unius-

uniuntur acquirant *Verbum* illud *caro factum*, (sive Deus creaturæ cogitanti puræ corpus humanum indutæ intime unitus, atque unicum inde totum constituens,) nobis hominibus & modum & vires præbuit, quomodo *carnis*, sive corporis, unionem ac dominium, illius instar, destruendo, per nobilissimam unionem ac dependentiam ad *Dei* quoque similitudinem ac imaginem reformemur.

XXXIX.

Qui ad Dei similitudinem ita reformati sunt, Deo vivunt, sibi moriuntur.

XL.

Qui arctius Deo uniuntur, majorem Dei similitudinem comparant, Deo magis vivunt, sibi magis moriuntur.

XL.

Ille Deo perfecte vivit cui Deus totam suam voluntatem manifestat, ille vero omnes suas ab ipsius voluntate determinationes accipit.

XLI.

Nullum inter homines Deo perfecte

fecte vixisse præter JESUM CHRISTUM, *Verbum* illud quod *caro factum est*, constat. *Nec tamen frustra.*

XLII.

Omnes ut Deo perfecte vivamus, nobis perfecte moriamur, ipsius vestigiis insistentes, aspirare tenemur.

XLIII.

Cum repetitis actibus nostram cum corpore unionem minuere, nosque Deo magis ac magis semper unire possimus, (per IX. & XI.) ad illam vitæ perfectionem quæ est in JESU CHRISTO in infinitum propius accedere possumus.

II. DE MORTE.

XLIV.

Nobis *moriendum* est ante Deo quam *vivamus*; ut CHRISTO commortui & consepulti, cum illo quoque, vitam Divinam in nobis habentes resurgamus.

XLV.

Vita hominis est vel vita *secundum Mentem*, vel vita *secundum Corpus*: sive vita *Divina*, vel *Animalis*.

XLVI. Vita

XLVI.

Vita *secundum Mentem*, sive Divina, in separatione mentis a corpore ac sensibus, & in vera cum Deo conjunctione, fidelique dependentia consistit.

XLVII.

Vita *secundum Corpus*, sive Animalis in separatione Mentis a Deo, & in ejus cum corpore conjunctione, & ab eo dependentia consistit.

XLVIII.

Mens quando est a Deo per vitam Animalem perfecte soluta, est Deo perfecte mortua: atque hæc est *Mors æterna*.

XLIX.

Mens quando est a corpore per vitam Divinam perfecte abducta, est corpori perfecte mortua atque hæc est *Vita æterna*.

L.

Ad perfectam hanc a corpore abductione, nihil magis potest conducere quam constans contemplatio Mortis.

LI.

Ad dignam & habitualem Mortis con-

contemplationem nihil magis poteſt conducere, quam HOROLOGIUM MORTIS.

L.II.

Horologium hoc conficiunt MORS ipſa, CHRISTUS, Tempus, quatuor ÆTERNITATES.

III. DE VITA.

L.III.

Qui *Horologium* hoc ſibi conſtruxerit, bene *vivere* nequit obliviſci.

L.IV.

Nihil abſurdius eſt quam ut quis bene vivat qui non vivit juxta Virtutem: nihil verius eſt quam quod ille miſere mortuus eſt qui vitam Divinam non novit.

L.V.

Virtus eſt *unica*, non multiplex: varia tamen ejus ſunt Officia atque Inſtrumenta.

L.VI.

Virtus eſt conſtans ac immobilis Ordinis amor.

L.VII.

Ordo unicuique, nobis, aliis, Deo ſua tribuit: unde Virtus Privata, Socia

Socia, aut Divina potest appellari.

LVIII.

Officia privatæ Virtutis. Ordinis hic amor non potest quin creaturæ cogitanti quæ nihil sibi ipsi dedit, aut dare potest, coram summo Creatore, qui omnia possidet, quique omnia libere tribuit, extremam humilitatem doceat.

LIX.

Ordinis hic amor eidem imperat ut Creatori huic ac Benefactori suo, a quo separatus non potest non esse miserrimus, se firmo ac irrevocabili proposito devoveat.

LX.

Creaturam cogitantem Ordinis idem amor instruit, ut *fine* jam sibi proposito, *media* in ea finem prudenter dirigat, omnesque suas cogitationes recte determinet.

LXI.

Postulat quoque idem Ordinis amor ut actionum tum objectum, tum mensuram figat, affectusque Concupiscibiles rectæ rationis regimine moderetur.

LXII.

Eodem rectæ rationis regimine affectus Irascibiles moderari postulat, ac docet.

LXIII.

Illicitas & inhonestas voluptates constanter averſari: licitas moderate appetere docet.

LXIV.

Actiones ad commune bonum & utilitatem reipub. per *hunc* semper intenduntur. *Officia ſocialia virtutis.*

LXV.

Actiones ad ſingulorum bonum per constantem *Ordinis* amorem diriguntur, *Adeo ut impoſſibile ſit ſecundum hunc vel injuriam facere, vel beneficium non facere, quoties poſſumus, naturæ ordine ita poſtulante.*

LXVI.

Ad usus, non unius, sed multorum per hunc Talenta accepta sideliter dispensantur: *& in eo diſpenſando*, Finis, Persona, Tempus, Locus, Beneficiorum Quantitas & Qualitas pensitantur.

LXVII.

Concordiam & Pacem cum omnibus

bus colit hic *Ordinis*-Amor: factiones & schismata funditus destruit.

LXVIII.

Nec effuse gaudet ob honores concessos, nec immodice dolet ob negatos aut ereptos: locumque tantum suum & Ordinem sic tuetur, ut aliis nequicquam detrahat.

LXIX.

In conversatione honestum & decorum nunquam obliviscitur; *modos omnibus, quantum poterit, accommodatos colens, ut omnibus bene faciat.*

LXX.

Officia Divinæ Virtutis.

Ex omnibus *Officiis* quæ vel *seipsum* vel *alios* respiciunt scalam ad *Deum* ducentem fabricat.

LXXI.

Illius Naturam contemplari ac investigare; Attributa & perfectiones revereri & adorare; eum ardentissimo amore diligere; eum transire ac imitari; illi se totum offerre ac tradere; ab eo denique solo dependere ac moveri gestit.

LXXII. Qui

LXXII.

Qui per frequentes Contemplationis, Adorationis, Amoris, Imitationis, Resignationis Actus se Deo intime *unire*, & ab eo firmiter *dependere* studet, is *Ordinem* vere amat.

LXXIII.

Qui per frequentes Contemplationis, Adorationis, Amoris, Imitationis & Resignationis Actus; constantissimo *Ordinis* appetitu exertos, se Deo, summo suo Bono, intime *unire*, & ab eo firmiter *dependere* progreditur est necessario beatus.

LXXIV.

Qui spe nunquam potest excidere, neque ullius rei indiget quam cupit, est necessario beatus.

LXXV.

Qui acquirere progreditur quæcunque acquire recupit, quæque certo acquiri possunt spe nunquam potest excidere, neque ullius rei indigere quam cupit.

LXXVI.

Quicunque se Deo intime *unire*,

&

& ab eo firmiter *dependere*, per iſtiuſmodi Actus, progreditur, acquirere progreditur cuncta quæ acquirere cupit, neque ſpe unquam poteſt excidere, vel eſſe infœlix.

LXXVII.

Quicunque ſe Deo *unire* & ab eo *dependere* non progreditur, ille nunquam acquirere poteſt id omne quod acquirere cupit, ſed ſpe ſemper excidit, & eſt neceſſario infœlix.

LXXVIII.

Quicunque illud acquirere ſtudet, quod an acquiri poſſit incertum eſt: illudque acquirere non ſtudet quod certum eſt poſſe acquiri, fruſtrationis periculo neceſſario laborat.

LXXIX.

Ille qui fruſtrationis periculo laborat, metu laborat: qui metu laborat neceſſario evadit infœlix.

LXXX.

Quicunque illud acquirere ſtudet, quod ſi certo acquiri poſſit, an tamen retineri poſſit incertum eſt, illudque acquirere non ſtudet, quod certum eſt poſſe & acquiri & retineri,

neri, frustrationis quoque periculo necessario laborat.

LXXXI.

Quicunque illud acquirere studet, quod si certo acquiri possit, an retineri tamen possit incertum est, illudque acquirere non studet quod certum est posse & acquiri & retineri, necessario evadit infœlix.

LXXXII.

Quicunque constanti ac inviolabili *Ordinis* amore, *Ordinem* respectu ad *ipsum*, ad *alios* & ad *Deum* recte observat, illud unice acquirere & retinere studet, quod certum est posse & acquiri & retineri, & ad illud unice acquirendum media recte disponit.

LXXXIII.

Quicunque imperfecto aut sub languido *Ordinis* amore illud acquirere studet, quod certum est posse & acquiri & retineri, atque illud acquirendum media mediocriter disponit, frustrationis periculo mediocriter laborat.

LXXXIV.

Is solus qui illud unice acquirere

&

& retinere ſtudet quod acquirere & retinere *poteſt*, adque illud acquirendum & retinendum media recte diſponit, ab omni fruſtrationis periculo abeſt.

LXXXV.

Is ſolus ab omni fruſtrationis periculo abeſt, qui *Ordinem* conſtanter, & cum obſtinatione amat, vitamque vere vivit ſecundum *Mentem*.

LXXXVI.

Is omni fruſtrationis periculo ſubjicitur, omniumque eſt miſerrimus, qui *Ordinem* penitus deſpicit, vitamque inde vivit non niſi ſecundum *Corpus*.

LXXXVII.

Inordinatio & Confuſio eſt omnis miſeriæ & fruſtrationis origo.

LXXXVIII.

Qui *Ordinem* conſtanter & cum obſtinatione amat, is non *unum* aliquod Virtutis *Officium*, ſed *univerſa* exequitur.

LXXXIX.

Qui *Ordinem* conſtanter & cum obſtinatione amat is non ipſa *Officia* tan-

tantum, sed *Instrumenta* curat.

XC.

Inter *Instrumenta* præcipua sunt, Consideratio, Lectio SS. Scripturarum, Exempla, SS. Institutionum, sive Sacramentorum usus, Intentio, Alacritas, Scrutinium.

XCI.

Qui *Ordinem* constanter & cum obstinatione amat, is sibi ex *Virtutis* tum *Officiis* tum *Instrumentis VITÆ Horologium* bene instituit.

IV. DE ORATIONE.

XCII.

Qui *VITÆ Horologium* bene instituit, is mentem optime purgat, ut cum Deo conversetur per *Orationem*.

XCIII.

Oratio est Conversatio cum Deo, sive Elevatio mentis ad Deum.

XCIV.

Virtus est Mentis, Oratio Virtutis Vita.

XCV.

Dantur tot Orationis Exercitia, quot sunt Virtutis Officia.

P.

XCVI.

Per proprium ſuum Orationis Exercitium quodlibet Virtutis Officium *animatur*.

XCVII.

Nuſquam Humilitatem, bonum Propoſitum, Prudentiam, Moderationem, Fortitudinem, Temperantiam inveniet quiſquam, niſi qui in Orationis exercitiis inveniat.

XCVIII

Abſque Orationis exercitio, *Humilitas* ſtatim flacceſſit; nemo eſt qui *bene proponit*, qui non male exequitur; nemo *prudens*, qui non ſtultus; nemo *fortis* qui non metuit; nemo *temperans*, qui ſeipſum a ſuum voluptatibus poteſt abſtinere.

XCIX.

Nuſquam Juſtitiam, Charitatem, Pacem, Modeſtiam, Comitatem cum aliis exercebit prout debet, niſi cum prius exerceat.

C.

Nunquam Deum contemplari, adorare, amare, imitari, & ab eo dependere diſcet, niſi per *Orationem*

se, in illius contemplationem, Adorationem, Amorem, Imitationem, Dependentiam effundere didicerit.

CI.

Virtutis *Instrumenta* ille nunquam rite applicabit, qui si qui *Mentem ad Deum elevare*, illa per Orationem rite applicare didicerit.

CII.

Oratione Virtutis Instrumenta *applicante*, Officia *animante* cum Deo conversamur vel per modum *obsecrationis*, vel precationis, vel vel postulationis vel gratiarum actionis. *1 Tim. 2. 1.*

CIII.

Obsecratio est peccatorum confessio, & veniæ atque reconciliationis imploratio.

CIV.

Precatio, est pro omnibus bonis, sive spiritualibus, sive temporalibus, quibus vitam secundum Mentem promovere, vitamque secundum Corpus destruere facilius, postulatio.

CV.

Postulatio, est pro omnibus hominibus, omniunque hominum ordinibus; ac præcipue ut illi æque, ac nos vitam agant secundum mentem hoc est *vitam Dei* in Christo Jesu revelatam, devota intercessio.

CVI.

Gratiarum actio est humilis acceptorum a Deo beneficiorum confessio, cum laude juncta.

CVII.

Is qui per obsecrationes, precationes, postulationes & gratiarum actiones indesinenter cum Deo conversari, perque Actus præfatos, Virtutis internos, Officia *animantes*, Instrumenta *applicantes*, mentem suam ad intimam cum Deo unionem elevare aspirat, *ORATIONI Horologium* bene instituit.

V. DE FIDE.

CVIII.

Qui *Orationis Horologium* bene instituit ille non potest *Fide* destitui.

CIX. Or-

CIX.

Oratio est Virtutis, Fides Orationis *Vita*.

CX.

Per *Orationem* Mens cum Deo: per *Fidem* Deus cum Mente conversatur.

CXI.

Non satis est homini se ad Deum *elevare*, nisi Deo quoque *adhæreat*.

CXII.

Ut per *Orationem* homo se ad Deum elevat; ita per Fidem Deo *adhæret*.

CXIII.

Non satis est homini ut semet Deo *unire* aspiret, nisi a Deo firmiter *dependere* studeat.

CXIV.

Ut per *Orationis* Actus homo semet Deo *unire* aspirat, ita per *Fidei* Actus a Deo *dependere* studet.

CXV.

Non potest homo per Orationem semet ad Deum vel tantillum *elevare*, vel Deo ullateaus *unire*, qui Orationis vel *Principium*, vel *Objectum* determinando aberraverit.

CXVI.

Nemo *Orationis Objectum*, sc. *Deum* potest recte cognoscere nisi per Fidem.

CXVII.

Nemo *Orationis Principium*, sc. *Fiduciam* potest recte determinare, nisi qui ejus *Objectum* recte cognoverit.

CXVIII.

Nemo potest *Orationis Principium* determinare, vel ad ejus *Objectum* respicere, ut debet, nisi qui ab Authore omnipotente *condita* omnia firmiter credat. *Sed*

CXIX.

Neque potest quisquam *oraturus* vel hoc *Principium* determinare, vel ad *Objectum* respicere, pro ut debet, nisi qui per Authorem eundem omnipotentem se *subsistere* constanter credat.

CXX.

Nemo potest *Orationis Principium* determinare, vel ad ejus *Objectum* respicere, ut debet, nisi qui *Verbo quod caro factum est instaurata* omnia firmiter credat. *Joh.* 1. *Sed*

CXXI. Ne-

CXXI.

Neque potest quisquam *oraturus* vel hoc *Principium* determinare, vel ad *Objectum* respicere, prout determinare aut respicere debet, nisi se quoque a *verbo* instaurari posse constanter credens, ad Patrem, per Filium suum dilectissimum accedat.

CXII.

Nemo potest *Orationis Principium* determinare, vel ad ejus *Objectum* respicere, nt debet, nisi qui a *Spiritu* omnem *Sanctificationem* procedere, & per vivificam ejus operationem *Dei peculium* fieri firmiter credat. *Sed*

CXXIII.

Neque potest quisquam *oraturus* vel hoc *Principium* determinare, vel ad *Objectum* respicere, prout determinare aut respicere debet, nisi *in* Spiritu qui Sanctos *gemitibus inenarrabilibus* orare docet *per* Filium, *ad* Patrem, humili *Fide* accedat.

CXXIV.

Nemo potest ad Patrem, per Filium accedere, in Spiritu nisi qua-

tenus ad Dei ipsius *similitudinem* conformetur.

CXXV.

Mens creata est Dei *imago.*

CXXVI.

Pater est illi origo *essentiæ* suæ; sive *entitatis cogitativæ vires volendi, judicandi, sentiendi infinite activas, suique determinatrices possidentis fons.*

CXXVII.

Filius est illi origo *luminis*; sive *principium mentis luminosum quod vires ejus infinite activas dirigit, ut recte velle, judicare &c possit mens.*

CXXVIII.

Spiritus sanctus est illi origo Gaudii; sive *principium beatitivum quo mens vires suas infinite activas a lumine illo, quod omnes ad Deum venientes illuminat, illustratas, rectèque ad Objectum dispositas, cogitatione reflexa percipiens, quietem inde & satisfactionem indicibilem persentit.*

CXXIX.

Essentiam, quam Patri acceptam debet

debet mens, non potuit amittere.

CXXX.

Lumen quod in illam a Filio provenit, amittere potuit, dummodo vellet: Dummodo non vellet, non potuit amittere.

CXXXI.

Gaudium quod in illam a Spiritu Sancto profluit, amittere etiam potuit, dummodo vellet: Dummodo vero non vellet constat illam hoc non posse amittere.

CXXXII.

Mens sine Filio nihil est aliud præter principium *tenebrarum* & confusionis; sive cogitationum inordinatarum ac vagantium, activitate infinita, sed nullo ordine aut luce præditarum.

CXXXIII.

Mens sine Spiritu Sancto nihil est aliud præter principium *pœnarum* infinitarum; sive cogitationum inquietarum eam infinite affligentium.

CXXXIV.

Spiritum Sanctum, sive Gaudium infinitum nemo potest recipere nisi per Filium.

CXXXV.

Filium, sive Lumen æternum nemo potest recipere nisi per Patrem.

CXXXVII.

Major non potuit dari amor quam ut Pater Filium suum daret: Solem illum *orientem ex altis* hominibus *in tenebris & umbra mortis ambulantibus.*

CXXXVI.

Major non potuit dari amor quam ut Filius idem hominibus in miseriam tremendissimam per cogitationem suarum divagationem ac inquietudinem collapsis, aut collapsuris, *Spiritum Consolationis* mitteret, postquam seipsum illis tradidisset.

CXXXVIII.

Filii *illuminatio*, & spiritus *consolatio* tam arcte connectuntur, ut nequeant prorsus ab invicem divelli.

CXXXIX.

Principium illud *cogitandi* Mentis constitutivum, a Filio & Spiritu Sancto munitum, est principium beati-

beatitudinis, sive *vitæ cœlestis.*

CXL.

Principium illud *cogitandi* Filio & Spiritu Sancto vacuum est principium miseriæ, sive *mortis infernalis. Unde*

CXLI.

Mens a *seipso* principium *inferni* possidet: at non nisi a Deo principium *cœlorum.*

CXLII.

Voluit Deus seipsum communicare cum hominibus, ut quod absque eo *inferni* fuisset principium in *cœlorum* principium converteret; eos reddendo *Divinæ naturæ participes.*

CXLIII.

Dedit Deus ob hunc finem hominibus capacitatem cum ipso communicandi, ipsumque recipiendi.

CXLIV.

Per hanc capacitatem debet homo seipsum Deo totum tradere ac in depositum relinquere.

CXLV.

Per hanc capacitatem debet seipsum omnibus aliis rebus vacuum reddere.

CXLVI. Qui

CXLVI.

Qui seipsum omnibus aliis rebus vacuum reddit, seque totum Deo tradit, Deum menti suæ presentem possidet.

CXLVII.

Fides hominem omnibus aliis rebus vacuum reddit eumque Deo totum tradit.

CXLVIII.

Fides est possessio Dei *ac proinde.*

CXLIX.

Qui Fidem habet cuncta potest.

CL.

Fides est possessio Lucis Divinæ: sine quâ exigua & pauca manifestat Lux naturalis.

CXLI.

Fides est Ratio perfecta Ratio: est Fidei imago & umbra.

CLII.

Quo Fides Mentem magis illuminat, eo Ratio est solidior & justior.

CLIII.

Fides est admissio Gaudii Divini: sine

sine quo mens nullam percipere potest solidam delectationem. *Hinc*

CLIV.

Cum mens per Fidem Deum possideat, (juxta Aph. CXLIX) lumenque & gaudium admittat, (juxta Aph. CLI, CLIII.) frustra expectat aliquis Fide destitutus illuminari, aut beari: Deum possidere, aut Deo *adhærere*.

CLV.

Quicunque igitur a Fide illuminari, Deoque intime *adhærere* cupit, is *FIDEI HOROLOGIUM* bene instituet.

CLVI.

Quicunque *FIDEI HOROLOGIUM* bene instituit, is Deo magis ac magis *adhærere* indesinenter progreditur.

CLVII

Qui sic *Deo adhæret* est cum Deo *unus Spiritus*, (per 1 *Cor.*6,7. & *Joh.* 17. 21.)

[*Per intimam Fidei conjunctionem spiritus hominis cum Dei spiritu ita unitur ut non sint amplius diversi spiritus censendi: dum homo fidelis non spiritu proprio vitam Animalem, sed Dei*

Dei Spiritu Divinam vivit, a Deo Spiritus sui Spiritu in cunctis moveri ac animari firmiter proponens.]

CLVIII.

Qui sic *Deo adhærere* constanter progreditur futurus est cum Deo *unus spiritus.*

CLIX.

Nemo est per Fidem Christianus, nisi qui vel Deo sic *adhæret*, estque cum Deo *unus spiritus*: aut qui Deo saltem adhærere, ut sit *unus spiritus* cum eo, constanter contendit.

VI. De HOROLOGII hujusce COMPOSITIONE & USU

CLX.

Cum Christianus ille tantum sit qui vel Deo *adhæret*, vel ei *adhærebe* constanter contendit, (Aph. CLIX.) qui ad Deum se *elevat* per Filium, (Aph. CXXI.) ut discat per eundem Filium quomodo, Constantissimo Ordinis amore *vitam Divinam* obtinens (per Sect. III) feliciter in eo moriatur (per Sect. II.)

eo

eo in æternum victurus, temporis sui curam, qua hæc omnia potest, quadruplici Horologio, non frustra instituet. *Hinc*

CLXI.

Mors & *Vita* duos primos *circulos* conficiunt tam diurnos, quam nocturnos: *Oratio* tertium tam diurnum etiam, quam nocturnum: *Fides* quartum, sed diurnum tantum, ut *Meditatio* nocturnum.

CLXII.

Mortis Circulus, diurnus *mortem* secundum *Mentem* & *Corpus* describit: nocturnus *moriendi artem* præcipue docet.

CLXIII.

Vitæ circulus diurnus, ut & dimidia nocturni pars Virtutis *Officia* describit pars altera ejus *Instrumenta* indicat.

CLXIV.

A Vitæ circulo non longe recedit Orationis circulus, sed eum tum per diem, tum per noctem comitatur, eique subservit.

CLXV. *Fi-*

CLXV.

Fidei circulus duodecim punctis *Diem Christianum* describentibus absolvitur.

CLXVI.

Omnium circulorum primus Motor est *Amor*: *Constans ac inviolabilis Ordinis Amor* est optima Temporis mensura.

CLXVII.

Horologii hujus Elaterium provenit a *restitutione* sui ipsius per accessum ad Deum.

CLXVIII.

Hujus *pendulum* constituunt vibrationes mutui amoris mentis ac Dei; sive *vitæ Divinæ* pulsus regulariter continuati.

CLXIX.

Hujus Index horarius est *Ordo* cujus constans amor ut est (per Aph. CLXVI.) optima Temporis mensura, ita est optimus quoque Index.

CLXX.

Horologiarius est ipse *Christus*, Sol ille justus, a quo tempora & vices rerum pendent, & ad quem tendunt.

CLXXI.

CLXXI.

Horologio hoc quicunque recte velit uti, præcipue debet curare ne in *primo motore* aliquid defectus insit.

CLXXII.

Curandum est ne ejus *Elaterium* tempestati expositum infringatur, suique restitutio sit nimium debilis.

CLXXIII.

Curandum est ne *Pendulum* Christianum per Vitæ *secundum mentem* interruptionem male dispositum, Temporis & Officii mensuram inæqualiter metiatur.

CLXXIV.

Curandum est ne quis *Ordinis* defectus *Indicem* Christianum a justo suo situ deturbet. *Sed tamen*

CLXXV.

Affectu superstitioso *Horologium* hoc ad singula temporum puncta ibi descripta *rigide* observare, nec necesse est, nec utile.

CLXXVI.

Quicunque hoc recte noverit uti, nec negotia omnino interturbabit, nec quietem, sed inter tum negotia,

tia, tum quietem, per Mentis ad Deum aſpirationes ita diſpoſitas, ſemet ei *unire* conſtanter progredietur.

CHRISTUS *Horologiarius*

HOROLOGIUM

Inſpicientem alloquitur;

Chriſtiane

Cur hic ſtas otioſus,
Nonne ſunt *duodecim horæ* Diei?

Me ſequere ſtatim:
Hoc ipſo momento ſequere.
Fugit momentum:
Fugit Hora.
En *Horologium*! aſpice.

Quid moraris? quid tempus perdis?

Hoc *nunc* tuum eſt
Nunc igitur ad me confuge.
Nunc ſub meo vexillo milita:
Ora & labora ut *horam* Mortis beatam aſpicias.

Crucem tolle, & diſce MORI

Sed

Sed ut

Moriaris

disce { VIVERE. ORARE. CREDERE.

Mihi *credas*, qui sum in me *credentibus*

VIA, VERITAS, & VITA;

& te

omnibus horis { *Credere* *Orare* *Vivere* *Mori* } docebo

Sic tibi quoque, si velis, futurus

VIA, VERITAS, & VITA.

Ut *moriendo*, sicut & ego

Vivas, sicut & ego.

In omnem æternitatem Beatus.

DIES.

DIES CHRISTIANUS

Per
Duodecim *Puncta*, sive *Horas*

MORTEM, & VITAM' ORATIONEM & FIDEM, breviter indicans.

Ordo Primus. *Ars moriendi.*

UTinam saperent, & intelligerent, & providerent *mortales.*

1. *Mortem certissimam.*
2. *Horam incertissimam.*
3. *Introitum Mortis.*
4. *Christi Mortem.*
5. *Septem verba.*
6. *Temporis fugacitatem.*
7. *Irrevocabilitatem.*
8. *Remedium.*
9. *Animæ*
10. *Corporis*
11. *Inferni*
12. *Cælorum.*

} æternitatem

Ut

Ut absorpta sit *Mors* in victoria, per Dominum nostrum *Jesum Christum.* 1 *Cor.* 15. 54. 57.

Ordo secundus. *Ars Vivendi.*

Fructus Lucis est in omni bonitate, & justitia, & veritate. *Eph.* 5. 2. quales docebunt,

1. *Lex Humilitatis.*
2. *Lex boni propositi*
3. *Lex Prudentiæ*
4. *Lex Moderationis*
5. *Lex Fortitudinis*
6. *Lex Temperantiæ*

1. *Justitiæ*
2. *Charitatis*
3. *Pacis*
4. *Modestiæ* } Leges
5. *Conversationis*
6. *Scrutinii.*

Ordo tertius. *Doctrina Orandi,*

Oportet *semper* orare, & non deficere.

Per omnem orationem & obsecrationem

Oran-

Orantes *omni tempore* in spiritu & in ipso vigilantes in omni instantia. *Eph.* 5. 18.

Sine intermissione orate. 1. *Thes.* 5. 17.

In omnibus, & per omnia.

In omni tempore, loco, modo.

Semper, ubique, omnimodo,

Surſum ad Dominum corda, per Actus,

1. *Contritionis*
2. *Propoſiti*
3. *Petitionis pro lumine*
4. *Renunciandi Mundo*
5. —— *voluptatibus.*
6. *Patientiæ.*
7. *Amoris ex Ordine.*
8. *Interceſſionis.*
9. *Pro Inimicis.*
10. *Contra Tentationes.*
11. *Perſeverantiæ.*
12. *Diſcuſſionis Conſcientiæ.*

Bene novit *vivere*, qui recte novit *orare*. *Aug. Conf.*

1. *Præpara animam tuam*
2. *Præmitte actum contritionis.*

3. *Præfige tibi bonam intentionem.*
4. *Pete gratiam ad pie, attente, & utiliter orandum.*
5. *Frequenter potius quam diu.*
6. *Recollige mentem.*
7. *Reverenter discede.*

Pater noster.

Ordo quartus. *Doctrina Credendi.*

Hæc est vita æterna (inquit ipsa Vita) ut cognoscant te, solum Deum verum, & quem misisti Jesum Christum. *Joh.* 17. 3.

Sine *Fide* impossibile placere Deo, *Heb.* 11. 6. quæ duodecim Articulis, *Symbolum Christianum* conscientibus, comprehenditur.

Credo in Deum Patrem.

Hora I.

I. DISCE MORI.

Mors certissima.

STatutum est omnibus hominibus semel *Mori*: & post hoc *Judicium.*

Omnis caro fœnum, & omnis gloria ejus quasi flos agri.

Exsiccatum est fœnum: cecidit flos.

Sic & vos quoque,
in unum omnes.
dives & pauper
juvenes & virgines
senes cum junioribus.

II. DISCE VIVERE.

Lex Humilitatis

Indue igitur, Anima mea, sicut electa Dei, Sancta & dilecta, humilitatem. *Col.* 3. 12.

quia dominus tuus
superbis resistit,
humili-

Humilibus dat gratiam. 1. *Pet.* v. 5.

Da operam
ut digne ambules vocatione qua vocata es,
cum omni humilitate & mansuetudine: *Eph.* 4. 2.
Nihil per contentionem,
neque per inanem gloriam,
sed per Humilitatem *Phil.* 2. 3.
honore invicem prævenientes, *Rom.* 12. 10.
Salvatoris tui instar,
Mitis & humilis corde. *Mat.* 11. 29.

III. DISCE ORARE.

Actus Contritionis.

Domine Jesu Christe, verus Deus & Homo, creator & redemtor meus, pœnitet me ex toto corde quod offenderim te Dominum & Deum meum, quem amo super omnia: & propono firmiter amplius non peccare, omnesque peccandi occasiones devitare: & confido in misericordia tua infinita quod per merita

pretiosi sanguinis tui, mihi remissurus sis omnia delicta mea, & gratiam uberem largiturus, qua vitam sanctam instituere, tibique perfecte usque in finem servire valeam, qui cum Patre, Sanctoque spiritu vivis & regnas Deus in sæcula benedictus. Amen.

II.

O mi amantissime Deus tibi totius diei hujus actiones ad gloriam & honorem tuum tibi offero. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.

III.

Sancte, Sancte, Sancte Deus Sabaoth miserere mei miseri peccatoris miserere mei miseri, miserrimi peccatoris: miserere mei, & adjuva me, sicut tu nosti, qui scis omnia sicut tu potes omnia, Domine benedicte in sæcula sæculorum.

IV.

1. Ah Domine ex infinita abyssi miseriæ meæ clamo, & invoco abyssum misericordiæ tuæ.

2. Domine Jesu Christe amore vel ad mortem crucis

liate, concede mihi veram humilitatem, ut te duce veram gloriam adipiſci poſſim.

3. Domine nihil ſum, nihil habeo, nihilque præter te deſidero.

IV. DISCE CREDERE.

I. Deum Patrem omnipotentem creatorem cœli & terræ.

Nunquid & Pater filium ſuum deſpiciet?

aut

Creaturam Creator?

Filius tuus ſum, benigniſſime Pater, licet indignus.

Filium tuum ingratiſſimum, fateor,

reverentem tamen

revertere ſaltem cupientem

ne deſpicias;

aut ſi me:

Scio tamen quod Filium tuum unigenitum, redemtorem meum deprecemur non potes.

Opus quoque manuum tuarum ſum:

An & opus manuum tuarum abjicies?

ne fiat :
Scio quod in vanum me non constituisti.

Hora II.

I DISCE MORI.

Hora incertissima.

Latet hora, ut omnes observentur.

Tuum ergo est redimere tempus,
laborare dum dies est,
vigilare,
attendere,
omni hora paratum esse.

Incertum est { qua hora / quo loco } te Mors expectet ; tu illam in omni { hora / loco } expecta

II. DISCE VIVERE.

Lex Resolutionis & boni propositi.

Juravi & statui custodire judicia justitiæ tuæ. Ps. CXXXIX.
nec deflectar unquam
Sed me totum tibi Deus

Pa-

Pater mi devoveo,
& in omnibus irrevocabiliter ex hoc nunc submitto,
tibi semper obedire: te semper expectare:
nesciens qua hora venturus sis,
& citaturus me,
ut reddam rationem villicationis meæ.
Cum igitur in hoc statu vivam:
Studiis & operibus vocationi meæ congruentibus [velut N. ita aut ita, & *nomina*,] incumbam: omnia honeste & secundum Ordinem facere propono.

III. DISCE ORARE.

Actus Propositi.

I.

Misericors Pater, tua gratia fretus, nihi omnino diffisus, deliberatissime nunc statuo & propono, tibi semper obedire, in omnibus, facili non magis quam difficili.

Statuo vitam quam dedisti millies singulis horis profundere potius, quam te Dominum & Patrem offendere.

II.

Tua, O mi Deus benedictio me confirmet, proposita adimpleat, mea tua voluntate nunquam faciat discrepare, & tuis semper indulgeat beneficiis gratulari per Christum D. N.

IV. DISCE CREDERE,

II. Jesum Christum Filium Dei unigenitum
Dominum nostrum
Magnum illud pietatis mysterium
propter nos homines,
pro nostra salute,
Deum in carne revelatum,
exinanitum,
Filium Patris,
Unctum spiritus,
Dominum Jesum,
ut in
Jesu Salutis,
Christo Unctionis,
Filio Adoptionis,
Unigenito Fraternitatis,
Domino

Domino Dominationis,
Particeps fias

Hora III.

DISCE MORI.

Id te docebit

Mortis Introitus in Mundum.

Per peccatum mors intravit;
Matrem igitur, si sapis, homo neca,
ita Filia tibi non nocebit.
Scientiam quæsivit male, qui Animam perdidit.
Insciția heu! maxime ploranda
in infinitam Sapientiam peccare,
Disce ergo homo sapere.
hoc tristi exemplo edoctus

Et

II. DISCE VIVERE.

Lex Prudentiæ.

Dic sapientiæ soror mea es, & prudentiam voca amicam tuam.
Ecce timor Domini ipsa est sapientia,
& recedere a malo intelligentia.
Job. 21. 28.

Cum omni igitur instantia postula

ut implearis agnitione Dei, in omni sapientia, & intellectu spirituali, *Col.* 1. 9.

caute ambulando,
non quasi insipiens,
sed ut sapiens, *Eph.* 5. 15.
redimens tempus
quoniam dies mali sunt. *v.* 16.

III. DISCE ORARE.
Petitio Luminis.

I.

Dignare sapientissime Deus ex inexhausto tuæ lucis fonte radium aliquem in mentem meum diffundere, ut pulchritudinem virtutis, & turpitudinem peccati perfecte cognoscere possim per Christum Dominum nostrum.

II.

O sapientia infinita, ciba me, humillime precor pane vitæ & intellectus, & aqua sapientiæ salutaris pota me per Christum Dominum nostrum.

IV.

IV. DISCE CREDERE,

III.

Sapientiam a Deo procedentem,
Jesum nempe Christum
Conceptum ex Spiritu Sancto
Natum ex *Maria* Virgine

ad purgandam impuritatem,
Conceptionis } tuæ.
Nativitatis }

Hora IV.

I. DISCE MORI.

Id te, ante omnia, docebit
Mors CHRISTI.

Tolle ergo Crucem tuam Christiane, & sequere eum,
sequere inquam eum,
qui seipsum pro te Morti tradidit,
ne tu Morti in æternū tradereris,
& ut Mortem etiam ipsam

redderet ad Vitam introitum.
Crucem quid renuis? mortem quid
fugis? age: quid sic reformidas?
Ecce Crux fœcunda gaudium utero
gerit!
Ecce Mors fit Vitæ Puerperium!
Age, sequere; tolle Crucem,
tolle Mortem:
Tu sequere alacriter,
Carnem crucifige cum vitiis & con-
cupiscentiis,
malis desiderijs morere.
memor quod
cum Christo *vivere* non poteris,
nisi cum eo *mortuus* fueris.

II. DISCE VIVERE.

Lex Moderationis.

Disce Viator,

Quæ sursum sunt sapere, non quæ
supra terram, *Col.* 3. 2.
Mortuus enim es, & vita tua est
abscondita cum Christo in Deo:
noli igitur, si sapis, diligere mun-
dum,
neque ea quæ in mundo sunt. 1.
Jo. 2. 15. Ut

Ut cum Christus apparuerit, vita quoque tua appareat cum ipso in gloria. *Col.* 3. 4.

Mortifica ergo membra tua, quæ sunt supra terram, *viz.*

Fornicationem,	Concupiscentiam;
Immunditiem,	Avaritiam, quæ est
Libidinem,	Idololatria. *v.* 5.

III. DISCE ORARE.

I.

Benignissime Pater in auxilium meum respice, & me emtum unigeniti tui sanguine, stantem in lubrico, undique laqueis & foveis cinctum, ad te funiculis charitatis tuæ trahe, mentem a *mundo* sursum revocans, per Jesum Christum Dominum nostrum.

II.

Rex regum & Dominus dominantium, cui omnia subjiciuntur, ego nunc me, meaque omnia, quæ habeo, sicut debeo, Tibi ex toto corde subjicio, mando, devoveo: Mundoque huic, omnibusque ejus rebus ponte, libere,

libere, Tuique solius amore motus nuncium mitto, me cuncta quæcunque sint mihi commissa, non quasi mea, sed ut Tua fideliter dispensaturum promittens: in nomine Patris, & Filii & Spiritus Sancti. *Amen.*

III.

Ad Christum Crucifixum.

Sanguine tuo Christe Jesu, a peccatis omnibus lava me, & concede ut anima mea, cum e corpore migraverit, ante tribunal tuum appareat munda.

O bone Jesu ne deseras me in ultimis angustiis, in suprema Mortis lucta, a qua tota pendet Æternitas.

O mi Redemtor in manus tuas spiritum meum commendo: Tua, O mi Deus, sanctissima voluntas, in me semper fiat, & in æternum.

IV. DISCE CREDERE.

IV.

Passus, Mortuus.
Crucifixus, Sepultus.

Passus

Passus quæ te oportuit, ne te oporteret.

Crucifixus, Mortuus, Sepultus } ut tibi { Crucem levem, Mortem placidam, Sepulturam tranquillam,

redderet;

Crucis onus tecum portando,
Mortis Stimulum eximendo,
Sepulturæ corruptionem destruendo:

Ut sic pro iis quæ pro te passus est,
agas gratias,
ipsi compatiaris,
pro ipso patiaris:

pro ejus { Cruce, Morte, Sepultura,

Peccatum quod istis causam præbuit

{ crucifigas; interficias; sepelias; } ejus { executionem intentionem occasiones

tollendo, & vitando;

per Vitam secundum *Mentem*,
per Mortem secundum *Corpus*:
Da Fidem talem Domine.

HORA

Hora V.

I. DISCE MORI, & cogita.

VII. VERBA

A CHRISTO *in Cruce prolata.*

I. Pater dimitte illis: non enim ſciunt quid faciunt. *Luk.* 23. 34.

Clementiſſime JESU, per hanc pietatem inauditam, miſericordiam ineffabilem, precor dimitte mihi, quia vere non ſcio quid facio, dum te offendo.

II. Hodie mecum eris in Paradiſo. *ver.* 43.

Memento & mei, Domine, latrone plus peccantis, ſed cum latrone quoque pœnitentis:

Qui nunc in regno tuo es,
da *ſurſum* ſapere.
da *tecum* eſſe.

III. Ecce Mater: — Ecce Filius. *Joh.* 19. 36.

Jugum hoc vere *ſuave*, & onus *le-*

ve,

ve, mutuam { Affectionem / Curam } induere.

Jugum istud charitatis mihi, suavissime *Jesu* imponas, ut in { adversis tentationibus } { solatium / remedium } & habeam, & præstem.

IV. Deus meus! Deus meus! quare dereliquisti me? *Mat.* 27. 46.

O *Jesu* sic pro me *derelicte*, fac ne unquam, præcipue in hora Mortis, projicias me: Et cum defecerit virtus mea, ne *derelinquas* me, propter gloriam nominis tui.

V. Sitio. *Joh.* 19. 28.

Quid autem *sitisti*, JESU *amantissime*, præter salutem nostram? Utinam & ego etiam propriam sitirem Salutem, ut tu alienam: neque propriam tantum,

Sed quoque alienam.

VI. Consummatum est. *ver.* 8.

JESU *obedientissime*, da mihi ut bonum certamen certando, cursum *consummando*, a te expectare possim coronam justitiæ.

VII. Pater in Manus tuas commendo spiritum meum. *Luk.* 23. 46.

Da mihi quoque, O JESU *fortissime*, cujus *fortis*, ut Mors, dilectio, ita perfungi hujus vitæ laboribus, malis, & miseriis, ut cum ad finem pervenero, secure & tranquille in manus tuas commendem Spiritum meum.

II. DISCE VIVERE.

Lex Fortitudinis,

Qua Affectus Iracibiles regere docet.

Viriliter age, & confortare: noli timere.

Sed in omni virtute confortatus

Secundum potentiam claritatis ejus: *Col.* 1. 11.

Tolle a te-ipso omnem
- Amaritudinem,
- Iram,
- Indignationem,
- Clamorem,
- Blasphemiam,
- Malitiam, *Eph.* 4. 31.

Indue

Indue ipsum { Pace, Hora IX. Patientia, Benignitate, Bonitate, Longanimitate. *Ga.* 5. 22.

III. DISCE ORARE, exerendo *Actum Patientiæ.*

I.

O JESU *fortissime*, quem mori amor coegit, mortemque & mala omnia vincere fecit, da mihi ferventissimum tui amorem qui omnia *superare possit.*

II.

O JESU *patientissime* da mihi vires ut in *patientia* possideam animam meam, neque sinas me tentari supra id quod possum, per ineffabilem tuum amorem.

IV. DISCE CREDERE,

V.

Descendisse ad Inferos.
Resurrexisse a mortuis.

Ut

Ut fideles animas lætificaret.
Dum illis gaudia & triumphos præbebat:
Ut animam a corpore suo vere separatam demonstraret,
Dum mundum invisibilem visitabat:
Ut mortalibus lucem & vitam amissam restauraret,
Dum se mortuorum primitias resuscitabat.

Siste paulisper,
Et cogita anima mea:
Descendit enim ille, ne tu, quod te oportuit, ulterius descenderes:
Resurrexit, ut & tu, quod te non oportuit, quoque resurgeres.

Tu igitur operam da, ut
Pro descensu ad inferos,
meditationibus tuis descendas in Infernum.
Pro resurrectione,
ad novitatem vitæ resurgas.

Hora VI. Meridies.

I. DISCE MORI.

Id te monebit
Tempus fugax.

Fugit Hora: fugit Dies: Cuncti
Dies noſtri dilabuntur.
Annos noſtros finimus dicto citius.
Dies noſtri ſicut nihil ante Te:
Sicut umbra quæ præteriit
Ante vero quam prætereat *horæ hæc*
tua
diſce Mortalis Mori: diſce Vivere.
diſce quam citiſſime.

II. DISCE VIVERE.

Lex Temperantiæ.

Diſce homo	Dediſce homo
1. Abſtinentiam,	1. Gulam.
2. Sobrietatem.	2. Ebrietatem,
3. Caſtitatem,	3. Laſciviam,

ut illa te cuſtodiant:
ne hæc te lædant.

Illa

Illa te docebit Honestas:
Hæc te dedocebit Verecundia.
Honestas est *constans decori amor*:
Verecundia est *constans indecori horror*:

Decori } in { Temperantia
Indecori } in { Intemperantia.

Oportet, utile, jucundum, decorum est
in omnibus esse temperantem.
Multa sunt quæ *sustineas*, sed plura pene a quibus *abstineas*.
Abstine, a carnalibus desideriis quæ militant adversus animam. 1. *Pet.* 2. 11.
Facta carnis mortificando. *Ro.* 8. 13.
Filius enim Lucis es, & filius diei:
non es noctis, neque tenebrarum;
Noctis igitur tenebrarumque opera fuge, & sobrius esto.

III. DISCE ORARE.

Actus renunciandi voluptatibus.

I.

Oculi omnium in Te sperant, Domine ut des illis escam in tempore
Ape-

Aperis Tu manum Tuam, & imples omne animal benedictione tua.

Duo rogavi Te, ne deneges mihi antequam moriar. Divitias & mendicitatem ne des mihi;

Tribue mihi necessaria, & sufficientia:

Non ultra desidero:

Quæ habeo Tibi offero:

omnes {gustus / carnis} voluptates repudio, delectationes renuncio, ut magis Tibi, ac magis placeam, serviam, Teque purius amem, per Jesum Christum D. N.

II.

Purissime Domine, Tibi libentissime do omnimodam meorum omnium possessionem, renunciando omni affectui terreno, & sensuali, ita ut si ego possim, omnibus voluptatibus & deliciis sensus & carnis quæ ab omnibus hominibus delibari ac percipi solent, quam promtissime illas refugerem, illis renunciarem, sicuti nunc refugio & renuncio in æternum, ut me a vita quæ est *secundum*

Corpus

Corpus, longius in infinitum abstraham, Tibi purius vivam, meque Tibi in vita quæ est *secundum Mentem* conformem. Hoc firmum ratumque sit, in nomine Patris & Filii, & Spiritus Sancti. *Amen.*

III.

Extingue in me, amantissime *Jesu*, extingue, precor, Sanctissime *Jesu*, in me, & exstirpa radicitus, funditusque omnem cupiditatem carnis & sensuum.

IV.

Tibi Sanctissime Spiritus hoc devoveo templum quam humillime, hoc tibi precor, castum & purum, Sobrium & Temperans in perpetuum posside. *Amen.*

IV. DISCE CREDERE.

VI.

Redemtorem tuum Jesum Christum, quem,
in Carne revelatum,
Mortuum, passum, resuscitatum,
colis;

Ascen-

Ascendisse: Assedisse.
In cœlos ascendisse,
Ut tibi præparet locum:
Ad dextram Patris assedisse,
Ut pro te appareat & intercedat.
Tu vero Ascensionis memor, quæ
cum eo in cœlis sunt quære.
Sessionis memor, in precibus exaudiri nunquam metue:
utpote qui talem,
In { Ascensione, Præcursorem } agno
{ Sessione, Advocatum } scis.
Hunc in Gloria Patris sedentem
agnosce, cole, adora.

Et recordare
Descensum Mentis per Luxuriam,
in Adamo;
Ut Ascensum ejus per Temperantiam,
in Christo.

Ascende anima mea: ascende,
Cur non terram linquis?
Linque terram, ut *Christum habeas.*

Hora VII.

I. DISCE MORI.

Tempus irrevocabile.

Terra hæc tibi linquenda *nunc* eſt,
O anima mea.
Linque *nunc* terram: & Chriſtum habe.

Quis alas dabit,
Ut terram linquerem,
Et Chriſtum haberem?
Cur terram non adhuc liquiſti, anima mea?
Fugit Tempus { irrevocabile. / irreparabile.
Fugit nunquam reverſurum,
Et tu tamen non liquiſti adhuc.
Et tu tamen *Mori* non didiciſti adhuc.
Non amplius tibi diſcendum eſt *Mori*, niſi *jam* diſcas.
Diſce *jam*, *moriendo*,
Ut terram linquas, & Chriſtum habeas.

Ut

Ut hinc ad ipsum migres,
Alas *jam* tibi daturus est ipse Christus;
Non daturus postquam præterierit tempus.
Disce igitur statim,
Mori, terram linquere, in Patriam avolare:

II. DISCE VIVERE.
Lex Justitiæ.

Officium primum Sociæ Virtutis:
Fundamentū perpetuæ commendationis & famæ:
Sine qua nihil esse potest laudabile.

Hanc
Semper & ubique;
Tam Publicam, quam Privatam
Erga Rempub. & erga particulares;
ut foris, ita domi;
Ut in {magnis, alienis,} {ita in parvis; suis;}
perfecto Ordinis amore,
amore {*ex* Ordine *ad* Ordinem} proficiscentem,
cole;

Tanquam auribus semper insonaret, *Surge & ad Judicium veni.*

III. DISCE ORARE: Et declara

Justitiæ Amorem, per
Actum ex Ordine profisiscentem.

I.

Deus sapientissime, qui omnia miro *Ordine* disposuisti, animum meum puro *Ordinis* amore accende, magisque ac magis inflamma, ut nunquam injuriam alicui inferrem, aut *justissimum* eundem *Ordinem* perturbare possim, quem constituisti, *in* & *per* Jesum Christum Dominum nostrum.

II.

Deus Juste, ego ad tui imaginem Ordinem in omnibus amare, observare, persequi, ac præcipue quæ sua sunt, omnibus libentissime tribuere firmiter propono. *Amen.*

Ut vero Propositum hoc ratum maneat ac *irrevocabile.*

IV. DISCE

IV. DISCE CREDERE, VII.

Advocatum tuum ad dextram
Patris nunc ſedentem,
Reverſurum: Judicaturum.

Adventus, & Judicii nunquam obliviſcere;
Sic adventum & Judicium,
nunquam formidabis,
ſemper exoptabis.
Tubæ reſonantis ſonum, ſemper audi, ſemper crede, & ſemper ora;
atque ſic vives
Nunquam ſecundum Corpus:
Semper ſecundum Mentem.

Eundem tibimet proponens
Exemplar, & Judicem:
In primo ſuo Adventu,
Fidei Inſtauratorem:
In ſecundo ſuo Adventu,
Fidei ejuſdem Conſummatorem.

Hora VIII.

DISCE MORI.

Temporis Remedium.

Tempus militiæ tuæ recogita, O anima mea: *Recogita*, quod nequis *revocare*: & tecum considera quid faciendum sit; ut *opus non* sit revocare.

Dies mei, fateor, velocius transierunt,
quam a texente tela succiditur:
sicut umbra, declinaverunt:
præterierunt sine *fructu*:
Nec tamen consumti sunt
absque ulla *spe*.
Impossibile est ut eos *revocem*.
Non tamen ut eos *redimam*
est impossibile.

Redime igitur dies: *redime* tempus, O anima mea:
nec pretio parcas:
quoniam dies sunt { pauci. / mali.

Quid

Quid moraris insipiens? nec redimis dum *potes*?
Tuum *posse* non manebit semper.
Tu & illud brevi præteribunt.
Quid pretium non persolvis?
Majori quam par est pretio;
Tanta *redimere* stulte metuis
Cur non persolvis statim?
Tanta *redimere* stulte procrastinas.
Pro tantis;
Nec majus? quam par est, quicquam
Nec citius ? potes solvere.

II. DISCE VIVERE.

Lex Charitatis.

Tempus redimere ne metuas,
Si legem hanc cœlestem colas,
Omnia tua in charitate faciendo, 1 *Cor.* 16. 14.
Spiritualia æmulando,
Sed super omnia hæc, Charitatem habendo, colendo, *vinculum* illud *perfectionis*,
Quo vocati sumus in uno corpore. *Col.* 3. 14, 15.
Quippe Deus Charitas est

Tu Deum, Christum, Charitatem sequere.

Hoc mandatum habes a Deo. 1 *Joh.* 4. 21.

Hoc est præceptum Christi, *Joh.* 14. 12.

Ut sicut ille te dilexit,
Tu fratres diligas.

Ama, dilige
purissimo Charitatis affectu:

Memor
Deum esse Charitatem,
Teque, quam diu in Charitate maneas

In Deo manere,
Et Deum in te, 1 *Joh.* 4. 16.

III. DISCE ORARE.

Actus Intercessionis.

I.

Domine Deus, qui Charitas es, in qua qui manet, in Te manet, & Tu in eo per Jesum Christum, infunde, precor, in cor meum Charitatem vere Christianam, per Spiritum Sanctum, ut omnes homines, ac Christianos præcipue, non verbo, sed opere diligam; inque Te manere valeam,

am, per Jesum Christum Dominum nostrum.

II.

Omnipotens & sempiterne Deus, cujus spiritu Ecclesiæ corpus universum regitur ac sanctificatur, preces meas quas tibi offero pro omnibus ordinibus eorum qui Sanctæ Ecclesiæ tuæ accensentur propitius exaudi, ut omnes & singuli pro suo quisque munere & ministerio, pie ac sincere tibi serviant, per Dominum & Servatorem nostrum Jesum Christum Amen. *Lit. Angl.*

III.

Respice misericordissime Domine Pater,

1. Genus totum humanum, Ethnicos, Judæos, Turcas

2. Ecclesiam Catholicam, Orientalem, Occidentalem, Britannicam,

3. Episcopos, Clerum, Populum.

4. Imperia per orbem terrarum, Vicina, Nostrum.

5. Solium, Consilium, Forum, Scholas, Officinas.

6. Omnes quibus male est; positos in angustia, morbo, errore, peccato.

7. Præclarum facinus aggressus
8. Mihi commendatos.
Adjuva, ſerva, miſerere, & cuſtodi,
tua gratia, Domine,
per & propter gloriam Nominis tui.
Ut vero { Intercedas, Vivas, Moriaris, } { ut oportet, in Charitate; }

IV. DISCE CREDERE,

VIII.

Spiritum Sanctum:
Potentiam ex alto
Transformantem ad ſanctitatem,
Operantem
*In Increpatione, | Advocatione,
Compunctione, | Conſolatione,
Doctrina, | Atteſtatione.
Commonefactione
per diffuſionem Charitatis:
illuminationem cogitationis:
Ut in Spiritu Sancto
Spirationis & Sanctitatis particeps *fias*, ejuſque Fructus edas, quales ſunt,
Charitas, | Longanimitas,
Gaudium | Manſuetudo,
Pax, | Fides, Pati-

Patientia,	Modeſtia,
Benignitas,	Continentia,
Bonitas,	Caſtitas.

Adverſus cujuſmodi non eſt lex *Gal.* 5. 22, 23.

Omnis enim lex in uno ſermone impletur.

Diliges proximum ſicut teipſum. v. 14.

Diſce igitur *credere*,
O Anima mea:
Diſce & *diligere*.

UT CHRISTIANI SE AMANT!

Tu ſi CHRISTO *ſervire* velis,
Diſce per *Charitatem* SPIRITUS,
Servire invicem.
Memor eſto ſemper
Nihil in *Chriſto Jeſu* valere,
Niſi Fides qui per *Charitatem* operatur, *Gal.* 5. 6.
Tu etiam ſi in *Chriſto* aliquid cupias,
Spiritum Charitatis, ſequere,
Fidemque hanc cole,
Et ſic nunquam ſpiritum illum ſanctum Dei contriſtabis,
Sed in eo ſignata eris
in diem { redemptionis. / reſtitutionis.

2. Cur autem sic, O anima mea, moraris?

Cur non signari secundum hanc, properas? cur non festinas?

Si Christi es, fac cito.

Si vivis spiritu: Spiritu & ambula:

Spiritu *nunc* ambula.

O si Spiritu ambularem!

Et si desideria Carnis non perficerem!

O utinam non amplius!

O si { cogitarem; / crederem;

Dum Tempus redimi potest:

Nec dum Spiritus recessit.

3. Tu autem, O sanctissime, ac vivifice spiritus,

Ne me despicias

Spiraculum } tuum:

Signaculum }

Ne recedas à me, Domine.

Si recedas pereo.

Quoniam per. meipsum,

Absque Te,

Nihil sum nisi *pœnarum infinitarum* fons.

Convertere igitur, Domine, & consolare servum tuum.

[*Sin

[* *Singulæ hæ* S. Spiritus *operationes, juxta ſubjectorum diſpoſitionem, explicari poſſunt facile, per Corollaria quædam ex* Aph. CXXXIII, CXXXIV, CXXXVII, CXXXVIII, *deducta.*]

Hora IX.

I. DISCE MORI.

Animæ Æternitas.

Quid ita cogitas Mortalis?
Fugit TEMPUS:
Manet ÆTERNITAS.
Tempus jam cogitaſti:
A *Tempore* ad *Æternitatem*,
Ut tranſeat cogitatio tua,
Monet Hora.
Tranſit hæc Hora: tranſeunt mille.
Mille *Horæ*: mille *Dies*: mille *Anni*:
Tranſeunt omnes,
Mille & Mille: & millies mille
Hi omnes, reſpectu
Ad ÆTERNITATEM ſunt
NIHIL.

Poſt-

Postquam hoc NIHIL tuum effluxerit,
Cogita quid de te fiet,
O Anima mea.
Hoc NIHIL effluit;
Sed tu manebis.
Manebis in omnem *Æternitatem*,
Ut *nunc* elegeris,
Vel *Beata*: vel *Misera*.
Cave igitur Tibi
Aut NUNC aut NUNQUAM:
Nam ex hoc
NIHILO OMNIA:
Et ex hoc
MOMENTO ÆTERNITAS
Pendet.
Dum igitur *pendet* cogita: Et

II. DISCE VIVERE.
Lex Pacis.

Legatum hoc tibi reliquit Christus:
Tu Pacis discipulus
Sacrum hoc depositum custodi.
Beati Pacifici
Quoniam ipsi filii Dei vocabuntur:
Mat. 5. 9.
Beata & tueris mea Anima,
Et

Et Dei filia vocaberis,
Si sollicita sis

1. Servare unitatem Spiritus in vinculo Pacis, *Eph.* 4. 3.

Si fieri potest, cum omnibus hominibus Pacem habens: *Ro.* 12. 18.

Cuncta quæ ejus sunt sectando.

2. Observare qui dissentiones faciunt. *Rom.* 16, 17.

3. Declinare ab illis. *Ibid.*

Nunquid *divisus est Christus?*

Si non ille divisus, neque tu sis.

Nunc tu id ipsum sape: & Pacem habe:

Si Deum pacis tecum manere velis.

III. DISCE ORARE.

Postulatio pro Inimicis, Schismaticis, & Hæreticis.

I.

O misericors Deus, miserere Judæorum, Turcarum, Infidelium, Hæreticorum, ac Schismaticorum omnium: aufer ab illis omnem ignorantiam ac duritiem cordis, eosque adduc-

adduc, & conserva in unum tuum ovile, sub Pastore Jesu, Domino nostro, *Lit. Ang.*

II.

Deus Pacis & Charitatis da omnibus inimicis meis pacem & charitatem, peccatorumque remissionem per Jesum Christum.

III.

Deus veritatis, & princeps Pacis,
Sit Pax & veritas in diebus nostris:
Sit *unum* cor, & *una* anima
Multitudini Credentium.

IV. DISCE CREDERE,

IX.

Sub multitudine hac Credentium
1. S. Ecclesiam Catholicam:
2. Sanctorum communionem.

1 Jesu Christi Corpus Mysticum, & Collegium,
Beatam ex mundo vocatorum Societatem,
In Spiritu Sancto,
Ad Fidem Veritatis,
Sanctitatem vitæ
Quorum { Caput *Christus.* / Vinculum *Spiritus.*

2. Mem-

2. Membrorum Corporis hujus reciprocam participationem, in
Sacramentis, Orationibus,
Jejuniis, Suſpiriis,
Vigiliis, Afflictionibus,
Spiritu in eis poſtulante,
gemitibus inenarrabilibus,
Per mutuam hanc Communionem.
Tu proinde labora ut horum fias particeps,
Utque ſis in
Eccleſia, Vocatus ex mundo:
Sancta, Vita Sanctus:
Catholica, Fide Catholicus:
Ad fiduciam tranſlationis ad *Pacem æternam.*

Niſi ſis: niſi ſic labores:
(Cogita NUNC
Ne SEMPER recogites ſero,)
Quo vades
Anima mea ÆTERNA?

Hora X.

I. DISCE MORI.

Corporis Æternitas.

Ænigma magnum:
Corpus & *Mortale*, & *Æternum*
idem!
Quod Mortale eſt
Semen immortalitatis in ſe continet.
Animæ Æternitatem jam cogitaſti:
Cogita & *Corporis*;
Ne *Corpus Animam* decipiat.
Quid autem in Corpore hoc
Non *temporarium* } vides?
Non *Mortale* }
Nihil ſane videtur Machina fragilis
ac læſa
Cum Æternitate commune habere.
Habet tamen:
Machina hæc, quam fers, citiſſime
reſolvetur;
Sed ut rurſus reparetur;
In *æternum* duratura.
Hæc tecum cogita:

Et

Et dissimilem ejus Sortem
Præsentem Futuram;
Brevem, Sempiternam;
Solicite compara.
Et in Corpore
Nunc { pauca / parva } { fusti- / ne, } { multa / magna } sustineas.
Nunc perde, ut in *Æternum* lucreris.
Qui propter CHRISTUM perdiderit,
Salvum faciet.
Nunc compunge, percute, contere
Hoc *Corpus* tuum
Ne illud *Animam*
Semper compungat, percutiat, conterat.

II. DISCE VIVERE.

Lex Modestiæ.

Modestia vestra nota sit omnibus hominibus; Dominus enim prope est. *Phil.* 4. 5. Lex hæc sic fundatur in Aph. LXVIII. LXXV.

1. Qui gaudet ob honores concessos, gaudet ob id quod neque in se Bonum

num est, neque certo potest retineri; atque sic est miser.

2. Qui dolet ob honores negatos, aut ereptos, dolet ob id quod neque in se malum est, neque certo potest prævèniri; atque sic est miser.

3. Qui vel immodice gaudet ob honores concessos, vel immodice dolet ob negatos aut ereptos, est tanto magis insipiens & miser.

4. Qui neque gaudet ob honores concessos, neque dolet ob negatos aut ereptos, est sapiens & fœlix. Sed

5. Qui lege Christiana adjutus *bonore* alios *prævenire* didicit (*Ro.* 12. 10.) est tanto magis sapiens, tranquillus, & fœlix.

6. Qui nihil præterquam id quod suum est, penesque se, sibi tribuit alios *honore* facile *prævenire* discit: nec potest esse Immodestus aut Insipiens, Inquietus aut Infœlix.

Disce igitur, tanquam coram Domino, *qui prope est*,

Aliena

Aliena tibi non tribuendo,
Te *Modestum* in omnibus
ita gerere;
Ut *Modestia* tua omnibus ap-
pareat.

III. DISCE ORARE.

Contra Tentationes.

I.

Omnipotens Deus, respice preces meas, & libera cor meum a malarum cogitationum *tentationibus*, ut te miserante dignum esse possim Spiritus Sancti habitaculum per Jesum Christum Dom. Nost. *Amen.*

II.

Da mihi benignissime Deus, ut, *quæ mea sunt mihi tantum tribuendo*, corpus meum in ordinem redigere, motusque ejus omnes rebelles ac tentationes compescere, ac evitare possim, per gratiam tuam in Christo Jesu salutarem. *Amen.*

III.

Deus qui diligentibus Te facis cuncta prodesse, da inviolabilem Charitatis tuæ affectum, & nulla un-

unquam *tentatione* mutabilem per Dom. Noſt. Jeſum Chriſtum. *Amen.*

IV.

Miſericors Deus da mihi ut per *Modeſtiam* omnibus cedere paratus ſim, nemini tamen per *Peccatum*, ſed potius ad mortem reſiſtere per & propter Jeſum Chriſtum.

IV. DISCE CREDERE

X.

Peccatorum Remiſſionem.

O Beata Fides!

Fidelis ſermo, & omni acceptione dignus?

Quod Chriſtus Jeſus venit in hunc mundum peccatores ſalvos facere,

quorum ego primus. 1. *Tim.* 1. 15.

Sermo vere fidelis hic,

Omnia reconciliari in ipſo,

Qui pacificat per ſanguinem crucis ejus, ſive quæ in terris, ſive quæ in cœlis ſunt, *Col.* 1. 20.

Quapropter

Firmiſſime credo in Jeſu Chriſto omnium peccatorum meorum Remiſſionem. Deus,

Deus, ad quem pertinet peccata remittere, quæcunque ab infantia usque ad momentum hoc; sciens, vel ignorans, intus, vel extra; dormiens, vel vigilans; verbis, factis, vel cogitationibus; per jacula Inimici ignita, per desideria cordis immunda peccavi Tibi, miserere mei, & dimitte mihi per Jesum Christum Dominum nostrum. *Amen.*

Hora XI.

DISCE MORI.

Inferni Æternitas.

Quis poterit habitare in vobis cum igne devorante?

Quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis?

Nunc cogita, O Anima mea,
Gehennam *sempiternam*,
Torrentem Sulphuris & Ignis,
Ignem qui non extinguitur,
Carcerem tenebrosum,
Tenebras omnis exortes luminis,
Vin-

Vincula quæ dissolvi nequeunt
Nunc cogita, dum potes vitare.
Nunc cogita, in amaritudine tua,
In amaritudine amarissima,
Ne Te hæc non cogitasse
In *æternum* recogites.

Cur autem conquereris?
Tu ipse tibi Inferni fons es; & non
alius.
Tu Ignis:
Tu Tenebræ:
Tu Vinculum:
Dum a Deo recedis.
Quis Flammam meam restinguet?
Quis Tenebras meas illustrabit?
Quis Vincula mea dissolvet?
Tu, si velim ego, amantissime Deus,
Restingues, Illustrabis, Dissolves.
Volo ego, quantum possum;
Vellem quod magis:
Doleo quod non magis:
Fac, jube, quod Tu vis;
Non quod Ego;
Fac, Domine, & ne Moreris.
Restingue: illustra: solve.

II. DISCE VIVERE.

Lex Comitatis, sive *Conversationis.*

En quam *pulchra* sunt tua Vestigia,
O Pietas!
O quam *decora*! quam *amabilia*!
Ecce in Minimis his
Quam *venusta*, quam *jucunda* es!
Vel *Minima* Tua
Majora sunt quam Mundi *Maxima*:
Longe pulchriora, ac amabiliora,
Vel *pedum* etiam tuorum *Vestigia*,
Vel Scabellum etiam tuum
Mihi apparet,
Quam omnia Mundi *Diademata*,
Et Venerabilis *Majestas*.
Da ut *pedes* etiam tuos exosculer.
Quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis!
O filia Principis!
O filia DEI!
Ingredere, O Pulcherrima, Animam meam.
Pulchra es amica mea:
Suavis & decora, sicut *Jerusalem.*

Ter-

Terribilis tamen, ut Castrorum
acies *Ordinata*,

O CONTSANS ORDO.

Quam *pulchra* es, Amica mea, quam
pulchra es!
Mea Virtus! mea Columba!
Oculi tui Columbarum,
Absque eo quod *Intrinsecus* latet:
Tota pulchra es, Amica mea:
Et non est macula in Te.
Tota decora es, O charissima in
deliciis.

Heu quam falluntur isti,
Qui *Conversationem* tuam tristem,
languidam, aut morosam putant?
Tune tristis, languida, morosa,
O dulcissima mea Vita?
Non sic es:
Vere non est alia *Conversatio* Tua,
Quam jucunda, decora, proficua:
In *Omnibus*, & per *Omnia*.
Tota est *decora*: tota *Cœlestis*.
Sit mea talis;
Dum in *Terris* maneo,
Sit *Conversatio* mea in *Cœlis*.

III. Di-

III. DISCE ORARE.

Votum Perseverantiæ.

I.

Metuo, benigniſſime Pater; metuo multum ne *Converſatio* mea quæ eſt in *terris*, me ab illa quæ eſt in *Cœlis* abſtrahat: doce me igitur Tecum in *Cœlis* converſari, etiam dum cum aliis in *terris* converſor; ut ſic a beatiſſima tua ſocietate nunquam poſſim ſeparari: ſemperque exaudiri digneris pro me Filium tuum, Advocatum meum Jeſum Chriſtum.

II. *D. Auguſtini.*

O Domine Deus meus *voca* me, ut *accedam* ad Te: *firma* me, ne *recedam* a Te, per Jeſum Chriſtum Dominum Noſtrum.

III.

Miſeræ carnis meæ infirmitatem tu noſti, Domine, qui finxiſti me: inviſibilium meorum, hoſtium vigilantiam tu noſti, qui vides eos: Caro fatigata, ac refractaria a Te *re-*

cedere urget; hoſtes mei, in perniciem meam indefatigati, me etiam a Te *recedere* ſuadent tentantque. *Non recedam* vero: *non recedam* unquam a Te, O *Amor Mi:* Si *recedam*, pereo. Quare meipſum fœdere *ſempiterno*, tibi *nunc* trado, ut tradidi ſæpius, tradamque indies, ac renovabo, ne obliviſcar unquam: Adjuva Tu infirmitatem, pelle hoſtes, ut, per hujuſce fœderis violationem, a Te nunquam *recedam* neque contra *Ordinem*, etiam in *minimis* offendam per Jeſum Chriſtum Dom. Noſt.

IV. DISCE CREDERE, *Reſurrectionem Corporis.*

Putaſne, mortuus homo rurſum vivet?

Imo puto, credo, ſcio.

Dic vero.

Homo cum mortuus fuerit, & nudatus, atque conſumtus, ubi quæſo eſt? *Job* 14. 10.

Inſipiens tu, quod ſeminas non *vivificatur*, niſi prius *moriatur*. 1. *Cor.* 15. 36.

Ecce

Ecce Myſterium!
Seminatur corpus Animale:
Surget Spiritale.
Omnes quidem reſurgemus:
Non omnes immutabimur.
Putaſne autem quod Caro & Sanguis regnum Dei poſſidere poſſunt?
Non puto: non credo.
Imo certus ſum, quia Caro & Sanguis regnum Dei poſſidere non poſſunt:
Neque corruptio incorruptelam. 1. *Cor.* 15, 50.
Qui igitur portas imaginem *terreni* hominis:
Porta & imaginem *Cæleſtis*:
Atque ſic expecta
Beatam Reſurrectionem.

Hora XII.

I. DISCE MORI.
Cælorum Æternitas.

O Beata Reſurrectio
Ad Cœlorum Æternitatem!

Id quod in præsenti est *momentaneum, & leve* tribulationis nostræ: supra modum, in sublimitate, *æternum gloriæ pondus* operatur in nobis. 2 *Cor.* 4. 17.

O tu vita fæliciſſima.
O Regnum vere beatum,
carens Morte,
vacans Fine!

1. Regnum cælorum.
2. Civitas Dei.
3. Domus Dei.
4. Paradisus.
5. Thesaurus absconditus.
6. Margarita pretiosa.
7. Denarius diurnus
8. Cæna magna
9. Gaudium Domini
10. Nuptiæ Regiæ
11. Bravium
12. Corona.

O Fœlix anima mea!
Semperque fælix in secula,
Si Gloriam, Beatitudinem Pulchritudinem tuam,
Si Portas, & muros, & plateas tuas,
Mansiones multas,

Nobi-

Nobiliſſimos cives
Fortiſſimum Regem in decoro ſuo,
O Mater *Hieruſalem*,
Civitas Sancta Dei,
Civitas *æterna* in cælis,
Clariſſima ſponſa *Chriſti*,
intuerī mihi licuerit. *Aug. Med.* O ſi poſt reſolutionem hujus corporis liceat mihi aſſiſtere in Portis tuis Regi meo, & Deo meo,
Illum cernere in gloria ſua,
Illique *æternum* cantare *Allelu-ja*:
Benedictio, & claritas, & ſapientia, & Gratiarum actio, Honor, & Virtus, & Fortitudo Deo noſtro in ſecula ſeculorum: Amen. *Allelu-jah.*

Sed ut hanc Æternitatem invenias,

II. DISCE VIVERE,
Id te docebit
Lex Scrutinii.

Pravum eſt cor omnium, & inſcrutabile, quis cognoſcet illud? *Jer.* 17. 9.
Tu Domine ſcrutans cor & probans renes,

Proba me, & scito cor meum. *Ps.* 138. 22.

Tu igitur, O homo, Deum pete, ut cor tuum, in quo tot sunt latebræ ac recessus, tibi revelet.

Teipsum judica, ne judiceris: Teque quotidie, siste coram Tribunali Conscientiæ tuæ, ne coram illo Christi sisti metuas: Atque inquire, O anima mea,

1. An Deo pro acceptis beneficiis gratias egeris.

2. An a te ipsa rationem de admissis præsenti die peccatis, per singulas horas ex quo evigilasti, exegeris.

3. An te pæniteat: an in his emendationem firmiter proponas.

4. Quid boni feceris, ut Deo benedicas, & perseveres.

III. DISCE ORARE.
Examen conscientiæ.

I. O infinita Bonitas, gratias tibi ago pro omnibus beneficiis, quæ mihi hodie, & tota vita mea contulisti: Tibi laus & gloria in infinitas seculorum myriades, II. O

II. O Immensa Majestas, da ut quicquid tibi hodie in me displiceat, id mihi in memoriam integre redeat.

III. Qualis fuisti, anima mea, in
1. Precibus, & re Divina?
2. Occupationibus?
3. Studiis, & Lectione?
4. Verbis & sermone?
5. Mensa?

Quid egisti dixisti aut cogitasti?

Quid legisti aut scripsisti quod Vitam secundum *Meutem* promoveat?

Deceat Christianum?

operetur salutem { tuam? / aliorum? }

An nihil hodie temporis perdidisti?

An nulli detraxisti? neminem offendisti?

An omnes malas, acerbas, impuras cogitationes repulisti?

An quod mane statueras tibi faciendum, sive cavendum, fecisti aut cavisti?

IV. O Inexhausta misericordia ignosce mihi, quicquid hodie pecca-

vi contra te, ego omnes offensas hujus diei, & totius vitæ meæ in abyssum misericordiæ tuæ depono, & per mortem Filii tui, te precor, O Deus dimitte quicquid unquam in Te peccavi.

V. O æterna sapientia *Christe Jesu*, firmissime propono non peccare amplius. Hora I. S. III.

IV. DISCE CREDERE, XII.

Vitam Æternam,

Quam præparavit Deus diligentibus se.

O Vita felicissima!
Vita vere *vitalis*!

O Vita beata! Vita secura! Vita tranquilla! Vita pulchra! Vita Munda! Vita casta! Vita sancta! O Vita ignara mortis! O nescia tristitiæ! O Vita sine corruptione, sine perturbatione! Vita sine varietate & mutatione! Vita Æterna! *Aug. Med.*

Ac tu *Mori* cum CHRISTO, recusas O mortalis,

Ut

Ut hanc cum eo VITAM vivas?
O si millies ac millies *mori* possim ut cum CHRISTO *vivere valeam.*
O quam cupio *dissolvi*! quam cupio a corpore hoc *abduci*, [saltem per *Mentem*,] ne sim cum eo quasi Peregrinus
In quo vivo, & sum.

Mors Christi, *mihi Vita Æterna.*

NOX CHRISTIANA,

Sive

HOROLOGII CHRISTIANI

PARS SECUNDA,

Per Duodecim Puncta sive *Horas*, VITAM & MORTEM, ORATIONEM & MEDITATIONEM Breviter Indicans.

APHORISMI B. DE MEDITATIONE.

I.

MEns quæ eas a Deo vires accepit, quibus illi in infinitum magis ac magis uniri potest, (per XI. A.) ne hæ vigorem & efficaciam suam amittere possint, debet ante omnia providere ac *meditari*.

II. Vires

II.

Vires hæ vigorem & efficaciam ſuam amittunt abſque Exercitio.

III.

Mentis virium Exercitium eſt *Meditatio*: cujus defectu vigorem & efficaciam ſuam amittunt; ut cujus ope vigorem ſuum, & cum Supremo ſuo Bono *uniendi* efficaciam retinent & confortant.

IV.

Omne Mentis Exercitium non eſt niſi *Modus cogitandi*.

V.

Mens quæ eſt per eſſentiam quam a Patre recipit, (Aph. CXXVI. A.) *Subſtantia cogitans*, cogitat vel per modum *Apprehenſionis*, ſive *Ideæ*; vel per modum *Inclinationis* ſive *Motus*.

VI.

Cogitatio per modum *Ideæ* debet perfici per *Lumen*; ut ipſæ, per hoc, *Ideæ* clare ac dilucide Menti appareant. *Unde*.

VII.

Quando cogitatio per modum *Ideæ* fit abſque *Lumine*, fruſtra fit, &

& efficaciam ſuam amittit.

VIII.

Cogitatio per modum *Inclinationis* debet perfici *per Gaudium*; ut ſic remota per illud omni reluctantia, vivide ac fortiter verſus Objectum ſuum moveatur. *Unde*

IX.

Quando Cogitatio per modum *Inclinationis* fit abſque *Gaudio* fruſtra fit, & efficaciam ſuam amittit. *Hinc*

X.

Ut Mens Potentiam cogitandi non habet niſi a *Patre*: ita nec illam recte determinare per modum *Ideæ*, abſque *Filio*; nec per modum *Inclinationis*, abſque Spiritu Sancto poteſt.

XI.

Cogitatio per modum *Ideæ* eſt duplex: vel quando Mens verſatur circa Objectum, abſque ulla ſui alteratione: vel quando aliquam exinde in ſe alterationem perſentit quam illa *Perceptio*, hæc *Senſatio* poteſt vocari.

XII. Cum

XII.

Cum Mens Potentiam cogitandi nequeat recte determinare per modum *Ideæ*, absque *Filio*, (per X. B.) rectum non tantum *Perceptionis*, sed & *Sensationis* Exercitium fieri nequit nisi per *Filium*.

XIII.

Cogitatio per modum *Inclinationis* est duplex; a Quo, & ad Quem: sive *Aversionis* & *Conversionis*.

XIV.

Cum Mens Potentiam cogitandi nequeat recte determinare per modum *Inclinationis* absque *Spiritu Sancto*, (per X.B.) rectum non *Conversionis* tantum, sed & *Aversionis* etiam Exercitium fieri nequit nisi per Spiritum Sanctum.

XV.

Perceptio est directa, & reflexa: illa *Consideratio*, hæc *Reflexio* vocatur.

XVI.

In MEDTATIONE continentur Consideratio, Reflexio, Sensatio, Aversio, & Conversio.

XVII.

XVII.

Conſideratio eſt intenſa ad inveſtigandum cogitatio.

XVIII.

Reflexio eſt Mentis in Objectum inveſtigatum reactio, qua illud ſibi ipſi applicat.

XIX.

Senſatio eſt ipſius Mentis modificatio inde orta, qua delectationem aut dolorem ex Objecto capit.

XX.

Averſio eſt receſſus Mentis ab Objecto, quod fælicitati ſuæ ineptum judicat.

XXI.

Converſio eſt acceſſus Mentis ad Objectum quod fælicitati ſuæ aptum judicat.

XXII.

Conſideratio efficaciam ſuam amittit niſi particulariter applicetur.

XXIII.

Reflectio efficaciam ſuam amittit, niſi aliqua inde Mentis modificatio oriatur; qua, per Objectum ad ſe applicatum, novum eſſendi modum acquirit per delectationem aut pœnam.

XXIV.

XXIV.

Senſatio efficaciam ſuam amittit, niſi Mens per illam adeo mota ſit, ut firmiter inde proponens, ab Objecto fælicitati ſuæ inepto recedat.

XXV.

Averſio efficaciam ſuam amittit, ſi Mens per hæſitantiam, aut ignorantiam non accedat ad Objectum fælicitati ſuæ aptum.

XXVI.

Per *Conſiderationem* Mens veritates univerſales videt: per *Reflectionem* eas in particulari ſubſumit: per *Inclinationem*, ſive ea ſit *Averſio*, ſive *Converſio* Mens concludit ad praxim: hujus vero copula eſt *Senſatio*.

XXVII.

Ut Senſatio præcedit Cogitationem per modum Inclinationis, (per Aph. XIX *B.*) ita qnoque illam conſequitur.

XXVIII.

Senſatio quæ Cogitationem per modum Inclinationis ſequitur, eſt neceſſario fortior ac vividior, quam ea quæ præcedit.

XXIX.

XXIX.

Qui veritates universales practicas intente *considerat* ac investigat, is *Mortem secundum Corpus* bene incipit; sed potest, ipsa speculatione contentus, ulterius non procedere.

XXX.

Qui veritates has ita *consideratas* ac investigatas, actibus in se *reflexis* rite applicat, is bene procedit: Sed tamen potest has rite *reflectere*, & *Insensibilis* nihilominus manere.

XXXI.

Qui ex Actibus his reflexis vividam Mentis percussionem *sentit*, Movetur & ad ea fugienda quæ sunt ejus fælicitati inepta, & ad ea consequenda quæ sunt apta.

XXXII.

Quantumvis *sensibilis* aliquis sit, si vel hæc percussio remittatur, vel nova superveniat, potest motum ad ea quæ sunt ejus fælicitati apta directum, aliorsum refringere.

XXXIII.

Quicunque neque per remissionem, neque per novam percussionem Motum hunc Mentis refringit, sed

ea

ea fugere quæ sunt felicitati suæ inepta studet, si etiam non ulterius progrediatur, est adhuc Deo plane *mortuus*.

XXXIV.

Omnis qui DEO *reviviscere* cupit, ille veritates in JESU CHRISTO manifestatas debet considerare, a creatura recedere, & ad Deum accedere.

XXXV.

Qui per Mentis operationes considerandi, reflectendi, sentiendi, avertendi, convertendi, objectum aliquod sine respectu ad aliud, nisi ad seipsum, *meditatur*, is huic objecto in infinitum *uniendi* efficaciam retinet & confortat.

XXXVI.

Quicunque circa quodvis objectum per considerandi, reflectendi, sentiendi, avertendi, convertendi operationes versatur, ut debet, necessario per illud accedit ad objectum summum, & sibi proprium.

XXXII.

Nulla est veritas tam *pauci momenti*, nulla materiæ pars tam *vilis* aut *exigua*, imo ne ulla quidem entis

tis *Idæa*, aut *suppositio*, quæ Mentem meditantem non ducit ad Objectum Summum, & sibi proprium.

XXXVIII.

Quodcunque imperfectum & dependens est, Mentem recte *meditantem* ad Ens perfectum & independens ducit. *Proinde*,

XXXIX.

Circa quodlibet *Mortis* Exercitium Mens considerare, reflectere, sentire, avertere, convertere debet, si suam cum Deo uniendi efficaciam retinere & confortare cupiat.

XL.

Circa quodlibet *Virtutis* tum Officium tum Instrumentum, considerare, reflectere, sentire, avertere, convertere, Mens, quæ suam cum Deo *uniendi* efficaciam non vult amittere, tenetur.

XLI.

Per nullum *Orationis* Actum potest Mens sese *ad Deum elevare*, nisi considerando, reflectendo, sentiendo, avertendo, convertendo accedat.

XLII.

XLII.

Per nullum Fidei Articulum *Deo adhærere* potest Mens, nisi illum consideret, applicet, sentiat, perque illum ita investigatum, applicatum, perceptum, Creaturæ *adhærere* desinat, & ad Deum se convertat.

XLIII.

Meditationis Objecta Mediata sunt *infinita:* immediatum vero *unicum.*

XLIV.

Ut res quæ alicui uniuntur, *similitudinem* illius cui uniuntur acquirunt, (per XIV. A.) ita antecedenter invicem *uniri* non possunt, nisi per id, per quod inter se conveniunt.

XLV.

Ea inter quæ aliqua intercedit convenientia uniri possunt.

XLVI.

Aliqua convenientia potest intercedere etiam inter res quæ infinitis gradibus distant.

XLVII.

Potest dari infinita graduum distantia inter corpora.

Potest

XLVIII.

Potest dari infinita graduum distantia inter Spiritus.

XLIX.

Corpora conveniunt inter se per extensionem tantum.

L.

Spiritus conveniunt inter se per cogitationem tantum.

LI.

Spiritus per solam cogitationem *uniri* possunt.

LII.

Deus cum sit Spiritus, aliquam convenientiam habet cum spiritu creato.

LIII.

Deus cum sit Spiritus, per cogitationem potest *uniri* cum Spiritu creato.

LIV.

Ea quæ ex maxima differentia non possunt sola *per se* invicem *immediate* uniri, possunt tamen uniri *mediate*, per aliquod *tertium* in quo conveniunt.

LV.

Initio cum distantia inter Mentem

tem humanam & Deum non erat tanta, ac nunc est, ex misera sua dependentia a Corpore, potuit *immediate* per cogitationem a Filio illuminari, a Spiritu moveri, & cum Patre manere.

LVI.

Quam diu Mens corpore, sive *carne* sua libere, & Dominæ instar, usa est; nec per carnem ita a Deo abducta est, quin Deo se per cogitationem *immediate* unire posset; (per LV. B.) nec deformata inde Dei in se imagine, ad Carnis imaginem conformata est; (per XVI. A.) non opus erat ut *Verbum Caro factum* foret.

LVII.

Quam primum Mens Dei unione neglecta, Carni semet intimius unire, & ab ea dependere incepit, non potuit amplius *per se* Deo uniri.

LVIII.

Quam primum Mens, Dei imagine neglecta & deformata, in Carnis imaginem lapsa est, illam quæ est Dei, non potest *per se* renovare.

LIX.

LIX.

Quamprimum Mens, Dei unione neglecta, Carni ſemet intimius unire, & ab ea dependere incepit, ut Deo rurſus uniri poſſit opus erat ut *Verbum Caro factum* foret, ſive, ut Deus ſibi Mentem humanam, corpuſque, arctiſſimo nexu conjungeret, (per XXXV. A.) & ſic inter ſe convenirent mediante *tertio*.

LX.

Quamprimum Mens, Dei imagine neglecta & deformata, in Carnis imaginem lapſa eſt; ut hæc Dei in Mente imago renovetur, opus erat ut iſta renovatio quæ non potuit *per ſe* immediate fieri, (per LVIII. B.) fieret *per illum* qui eſt *Dei Imago expreſſa, & Character*; ut ſic Mens ad illum conformata, (per XXXVII. A.) Deo conformis fiat.

LXI.

Cum ſic opus fuit ut *Verbum Caro factum* ſit, ut Homo ad Dei Unionem, Dependentiam & Imaginem, per convenientiam ſuam cum *tertio* rediret, neceſſe eſt ut, per Cogitationem, ſeipſum uniat, cum *tertio* hoc, ſc.

ſc. *Verbo*, quod illi *in omnibus* propterea *factum fuit ſimile.*

LXII.

Quicunq; per Cogitationem ſemet cum CHRISTO conjungere deliberat, is ipſius *Vitam* & *Mortem* in Carne devote *conſiderare*, ſibi ipſi *applicare*, *ſentire*, proponens firmiter ea *fugere* quæ CHRISTUS fugit, & ad ea ſe *convertere* quæ CHRISTUS fecit & paſſus eſt, tenetur.

LXIII.

Quicunque Vitam & Mortem Chriſti *Meditatus* eſt, *Virtutis* pulchritudinem, & *Vitii* deformitatem neceſſario debet *meditari.*

LXIV.

Quicunque ſic *Meditando* ad Dei unionem redire cupit, is *Mundi* vanitates, Mentiſque *carcer* meditari movetur.

LXV.

Qui hoc didicit, ille ex creaturis omnibus, *Scalam ad Deum* facile fabricat, ut admirandam *Dei Scalam* affectu non indigno *meditetur.*

LXVI.

Qui utraque hac *Scala* novit uti,

is per mundum tum *invisibilem*, tum *visibilem* meditando discurrit; ut Deo *ubique* & *in omnibus* se conjungat.

LXVII.

Qui per Mundum visibilem & invisibilem peragrat, *finitum* & *infinitum* meditari eum oportet.

LXVIII.

Quicunque hæc, aut hujusmodi, meditari didicit, nec infæliciter *Mori*, nec male *Vivere*, nec infructuose *Orare*, nec vana *credere* potest.

LXIX.

Fides Deum possidet (Aph. CXLVIII. A.) Meditatio Deo fruitur.

LXX.

Fides Orationis, (Aph. CIX. A.) Meditatio Fidei Vita est.

LXXI.

Qui beate Mori, bene Vivere, devote Orare, Catholice Credere cupit, is MEDITATIONIS *Horologium* bene instituet.

Cir-

Circulus Primus. Memento MORI; ne veniat NOX illa, *quando nemo potest operari. Joh.* 9. 4. & te præveniat.

Circulus Secundus. Memento VIVERE. *Iturus in somnum aliquid tecum defer, in memoria & Cogitatione, in quo placide dormias, quod etiam somniare juvet. Sic tibi* Nox *ut Dies* illuminabitur, *&* Nox Illuminatio tua in deliciis tuis. *Bern. ad frat.* De nocte meditabor *Legem* tuam.

Circulus Tertius. Memento ORARE. *In* noctibus *extollam manus meas in sancta, & benedicam Domino.*

Circulus Quartus. Memento MEDITARI. Meditatus *sum* Nocte *cum corde meo, & exercitabar.* Ps. 76. 6.

Hora Prima.

I. Memento MORI: & ne obliviscaris, *Ægrotos visita*; ut tui reminiscatur ipse Christus, dicatque *infirmus fui, & visitasti me.* Mat. 25. 35.

Visita : Aspice : Memento, ne te pigeat O Mortalis visitare infirmum ex his enim in dilectione firmaberis.

II. *Memento* VIVERE, & *Deum contemplare* : Nosse enim Te Domine, consummata *justitia* est : & scire justitiam & virtutem tuam, radix est immortalitatis. *Sap.* 15. 3. Tè cognoscere est *Vita* eterna. *Jo.* 17. 3.

EGO SUM QUI SUM. *Ex.* 3. 14.

III. *Memento* ORARE : Denique in silentio Noctis accede.

Deus benigne, quem nosse, *vivere*, cui servire, *regnare* est, da me quæso Te nosse, ac tibi in finem servire. per Christum D. N.

Serva me Domine, *vigilantem*, custodi *dormientem*; ut in Christo *vigilem*, in pace *requiescam*, per Christum D. N.

IV. *Memento* MEDITARI : Et *Dei Omnipræsentiam* cogita.

1. Tu Domine cœlum & terram implesi : qui ubique es, & ubique totus : qui sentiri potes, & videri non

non potes: qui nusquam dees, & tamen ab iniquorum cogitationibus longe es: qui nec ibi dees, ubi longe es; quia ubi non es per gratiam, ades per vindictam: qui ubique præsens es, & vix inveniri potes: qui tenes omnia, imples omnia, circumplecteris omnia, superexcedis omnia, sustines omnia. *Aug. Man.* c. 1. non est ulla creatura invisibilis in conspectu tuo: omnia sunt nuda & aperta oculis tuis. *Heb.* 4. 13.

2. Quo autem ibo a Spiritu tuo? & quo a facie tua fugiam? *Ps.* 138. 7.

Tu scis insipientiam meam, & delicta mea a Te non sunt abscondita.

3. Non cogitabam vere: non vixi ac si cogitarem. Heu stultus! non vixi tanquam coram Te, qui nosti solus cor omnium filiorum hominum 1 *Reg.* 8. 39. et vixi tanquam coram hominibus. O stultitiam!

4. Non ulterius ita vivam: non faciam ita, aut sic: Non Te fugiam: non a Te recedam: sed

5. Me ad Te semper convertam:

omnia tanquam coram oculis tuis faciam. Ante Te omne desiderium meum, & genitus meus a Te non est absconditus, Tu igitur me ad Teipsum converte. Ad te clamo in toto cordo meo, ut ad Te nunc convertar: *Quoniam omnino non essem, nisi Tu esses in me; & nisi ego essem in Te, non esses in me.* Aug. Man.

Hora Secunda.

I. *Memento* MORI: Et *dispone Res tuas*: Cogita Parabolam Divitis, *Lu.* 12. 6. *Stulte hac nocte animam tuam repetent* a te: v. 20. *Dispone* igitur mature: *dispone* ita, ut ostendas te *dispensatorem*, non *Dominum*.

Ante Mortem benefac amico tuo, & secundùm vires tuas exporrigens, da pauperi.

II. *Memento* VIVERE. *Deum Adora.*

Dominum Deum tuum adorabis. *Lu.* 4. 8.

III. *Memento* ORARE. *Hallelujah.*

Magnus es Domine, & multum laudandus, colendus, adorandus in

in monte ſanctitatis tuæ.

Tibi Hymnus, Deus, tibi vota mea in omni tempore ſolvantur. Amen.

IV. *Memento* MEDITARI: Et quoniam Hora nunc eſt, ut Deum in Spiritu & veritate adores, CHRISTI *vitam* meditare.

1. O qualem Humilitatem, manſuetudiuem Charitatem, Patientiam aſpicio! quas conciones. quas Parabolas, quæ colloquia, quas preces audio.

2. Omnia autem hæc quare? *Diſce*, inquis, *a me*: me ſequere: in me mane.

3. Ah! Scio quod qui dicit ſe in Chriſto manere: debet ſicut ille ambulavit, & ipſe ambulare. In *quo* igitur maneo ego qui non ambulavi, ſicut *Tu* ambulaſti, mei amantiſſime *Jeſu*?

4. Non vero amplius manebo in alio quam in Te: non recedam, non me unquam avertam a Te: me itaque ab omni quod Tibi diſplicere cognoſcam, in ſempiternum avertere nunc ſtatuo;

5. Ut Te sequar & in Te maneam, qui es mea *Via*, mea *Veritas*, mea *Vita*.

Hora Tertia.

I. *Memento* MORI: *sic Elemosynam.*

Beatus enim qui intelligit super egenum & pauperem: in die Mortis liberabit eum Deus.

Oratio.	Cibus
Doctrina.	Potus
Consilium.	Vestis
Consolatio.	Hospitium
Correctio.	Redemptio.

Manus Pauperis Cataplasma Christi.

II. *Memento* VIVERE. *Deum Amat.*

Diliges Dominum Deum tuum ex toto *corde* tuo, & tota *anima* tua, & tota *mente* tua *Mat.* 22. 37.

III. *Memento* ORARE. *Mus Amoris.*

Amo.

I.

Amo Te mi Deus, cupioque ardentius amare. Nihil extra Te me beat: Et quando, O mi Deus, & quando ad Te hinc evolabo?

II.

O amantissime Domine *Jesu Christe*, unde omnis defluit Amor, dignare me per tuum dulcissimum Amorem adjuvare, & accendere cor meum ad Amorem tibi placitum, ut viam Amoris in Te amando consequar sempiternam.

III.

Illumina quæsumus Domine Deus, tenebras Mentis nostras, ut Te cognoscere & amare possimus: & totius *nostris* insidias a nobis, ab animabus præcipue, sed & etiam a corporibus, propitius repelle, per Christum D. N. *Amen.*

IV. *Memento* MEDITARI: Et ut per infinitum *Dei* Amorem, tuum Amorem accendas, CHRISTI *Passionem* meditare.

1. Considera, & Evangelium lege. *Unquamne Amor, sicut iste?*

2. At Christum me ita amantem redamare certe oportet.

3. Ah! quam frigide te laudo, & diligo. O ingratitudinem inauditam ut alia diligam, potius quam Te! Saltem non minus, quam Te: Utinam non magis.

4. Ea vero nunc tanquam inutilia & noxia penitus derelinquere, peccata odio habere, mundana contemnere, & sic ab omnibus futuris malis præcavere, Statuo.

5. Nec hoc tantum: sed & Tibi amore sincero & assiduo servire, superque omnia amare studebo in secula sempiterna.

Domine *Jesu* Christe, amem Te solum propter Te: & nihil amem nisi in Te.

Domine *Jesu* Christe, auge mihi *laborem* & *dolorem*, modo augeas & *amorem*.

Vigilate, nescitis enim quando Dominus veniat, an Sero. i. e. in prima Noctis Vigilia.

HORA

Hora Quarta.

I. *Memento* MORI: Et *reconciliare cum inimicis tuis.* Misericordiam quam requiris a *Deo*, fac fratri tuo: Eadem enim mensura remetietur tibi, qua tu conservo tuo mensus fueris.

II. *Memento* VIVERE. *Deum imitare.* Qui diligit *inimicum, imitatur* Deum, qui dilexit nos, cum adhuc *inimici* essemus. Neque in *hoc* tantum, sed & in *omnibus Deum* tibi Virtutis & Sanctitatis omnis Auctorem, Finem, Regulam, & Exemplar statue: amissamque ejus *Imaginem* recuperare, per *Jesum* Christum, stude.

III. *Memento* ORARE.

Domine Deus meus, qui es fons Virtutis, & origo Sanctitatis, da mihi, precor, ad Imaginem tuam desideratissimam conformari per Christum Dom. Nost.

Tu Deus *lux* es, & *tenebræ* in Te non

non sunt ullæ, da mihi, ut in *tenebris* non ambulem; sed ambulem in *luce*, *sicut* ipse es in luce. *Amen.*

IV. *Memento* MEDITARI: Et *Virtutis pulchritudinem* cogita.

1. Multas ego pulchritudines, multasque formas aspexi: at heu! quam *deformes* omnes apparent cum *Virtute* comparatæ. Quid *pulchrius* quam *pulcherrimum* Deum *imitari*? vivamque illius *imaginem* gerere, a quo omnis *pulchritudo* descendit?

2. Talem certe Pulchritudinem debeo amare.

3. Non tamen illam amavi: aut quam tepide saltem, quam frigide infinitam Pulchritudinem amavi! Heu! sentio teporem, sentio frigus. Verum nunc pudet, nunc pœnitet, me non flammis tuis accendi; aliasque etiam Pulchritudines vel Tibi, toties, ac tam diu prætuliſſe.

4. Sed non præferam amplius: nunquam ero, ut spero, tam cæcus, tam stultus, ut præferam.

5. Cor meum vicisti, O Pulchritudo pulcherrima: illud totum posside, quod totum Tuum esse volo ex hoc nunc in æternum. Tu

Tuque me, O *Pulcherrime Jesu*, vere fons Amoris, Tibi magis ac magis, in infinitum usque, conforma: Mentemque *illumina* meam, ut Pulchritudinem Tuam infinitam magis ac magis deprehendam.

Hora Quinta.

I. *Memento* MORI. *Viaticum sume.* Sit Christus tibi *Viaticum* & *Via*; sic erit tibi *Veritas*, & *Vita*. Hæc sunt verba tua Christe, mea Veritas, mea Vita; *Qui manducat carnem meam, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo: Verba quæ ego locutus sum vobis spiritus & vita sunt.*

II. *Memento* VIVERE. *Teipsum Deo resigna.* Te Deo totum trade, ut a Deo totus possidearis.

III. *Memento* ORARE.

I.

O amantissime Deus, me ipsum, omnes meas cogitationes, verba & actio-

actiones, somnum & vigiliam, vitam & mortem, Tibi offero per Jesum Christum.

II.

Vis me, Deus, febricitare? volo, & ego: vis me aliqua re potiri? volo & ipse. Non vis? nolo. Mori me vis? Mori igitur volo. *Epictet.*

III.

Deus meus, Amor meus, absit ut quod Tu vis, ego nolim; aut quod Tu non vis, velim ego: Tua voluntas, mea voluntas: imo jam amplius mea non est, quia tua esse incepit.

IV.

Deus meus, ego omni affectu cordis mei abnegato per omnia, Tibi me totum *resigno*, in æternum.

IV. Memento MEDITARI: Et *Vitii deformitatem* cogita.

1. Si tam pulchrum sit ad Dei imaginem conformari, quam fædum, quam turpe est amabilem istam imaginem dedædare ac destruere! Tota est deformitas, tota monstrositas, & nihil aliud. *Si sciremus qualiter per*

unum

mumquodque peccatum vulneratur & fœtet anima, usque ad mortem resisteremus peccato.

2. Talem certe deformitatem ac fœtorem debeo omni solicitudine vitare.

3. Non tamen illam vitavi, ut debui: O mentis meæ cæcitatem! quod non vitaverim: quod non coram sanctissimo, ac pulcherrimo Deo, vilis, fœdus, detestabilis atque ignobilis esse, & apparere reveritus fuerim.

4. Sed revereor nunc: & in posterum, cum omni solicitudine, & puro affectu, vitabo; modo Tu, mea Pulchritudo, lucem & gratiam dederis.

5. Atque ita in Lumine tuo, videbo lumen, separatus a Tenebris; & in Pulchritudine tua pulcher apparebo.

HORA

Hora Sexta.

I. *Memento* MORI: Et cogita *Sponſum* media nocte *virgines* excitantem. Vigilare igitur te oportet, Anima mea, ſapientibus ista cum virginibus: neſcis enim quando Dominus veniat: ſero an *media nocte* i. e. vigilia noctis ſecunda. Hinc igitur.

II. *Memento* VIVERE: Et cogita *Vitam perfectam ſecundum Deum*. Eſtote ergo vos perfecti, ſicut & Pater veſter cœleſtis perfectus eſt. *Mat.* 5. 48.

III. Memento ORARE.

I.

Omnipotens æterne Deus, qui *media nocte* venturum Sponſum prædixiſti, da ut auribus meis ſemper clamor intonet, *Ecce Sponſus venit*, ut in occurſum ejus nunquam imparatus ſim.

II.

Deus meus qui *media nocte* excitaſti

tasti *David* Prophetam tuam, & *Paulum* Apostolum, ut Te laudarent, da mihi etiam benignus, carmina de nocte, & super Stratum ita memorem esse Tui, ut ad Vitæ Divinæ *Perfectionem*, semper magis ac magis accedam per *Jesum* Christum.

IV. *Memento* MEDITARI: Et *Rerum Mundanarum vanitatem* cogita.

1. Vidi cuncta quæ fiunt sub sole, & ecce universa *vanitas* & afflictio Spiritus. *Eccl.* 1. 14.

2. Res igitur tam vanas, tam fugaces, debeo contemnere.

3. Non vero contemsi: at me non contemsisse nunc pœnitet.

4. Sed nunc contemno: imposterum contemnam; spero saltem me, tua gratia, contemsurum esse.

5. Ad quem autem me convertar, nisi ad Te, Deus meus: Vanitas vanitatum, & omnia vanitas, præter Te: Omnia igitur relinquam, ut Te sequar.

Hora Septima.

I. *Memento* MORI. *Mors latro de nocte.* Si sciret paterfamilias qua hora fur veniret, vigilaret utique: esto itaque parata, O Anima mea, quia qua hora non putas, Filius hominis veniet.

II. *Memento* VIVERE. *Considera.* Et cogita, quid faciam, si Mors me invadat? quid de me post Mortem fiet? quo Anima mea devenies? *Incertum* est. Cur ergo tam securus vivo ac si *certus* essem.

Considerationem impediunt 1. Desidia, 2. Negligentia, 3. Misericordiæ diffidentia, 4. Ejusdem præsumtio, 5. Rerum ac voluptatum mundanarum amor, 6. Persecutionis metus, 7. Virtutis asperitas.

Considerationem commendant ac adjuvant 1. Mentis illuminatio, 2. Gratia, 3. Amor, 4. Conscientiæ Quies, 5. Interna consolatio, 7. Libertas.

III. *Me-*

III. *Memento* ORARE.

Clementiſſime Deus tolle a me omnem incogitantiam, deſidiam & negligentiam, omnem miſericordiæ Tuæ aut diffidentiam, aut præſumtionem: & inclina cor meum in teſtimonia Tua, ut quæ Tibi placent ſobrie conſiderare, ardenter concupiſcere, prudenter inveſtigare, veraciter agnoſcere, & perfecte adimplere ad gloriam Nominis Tui, per Jeſum Chriſtum Dom. Noſt.

IV. *Memento* MEDITARI. *Mens incarcerata.*

1. Corpus eſt Mentis carcer.

2. Debeone Carcerem amare? debeone libertatem ſpernere? Non debeo.

3. Carcerem tamen adhuc miſere amavi: libertatem ſprevi. Infœlix ego homo, quis me liberavit de corpore mortis hujus?

4. Non vero libertatem ſpernam amplius: nec meipſum incarcerabo: nec in Carcere detinebo.

5. Sed e Carcere hoc, per liberos *Virtutis, Orationis, Fidei, Meditationis* Actus, ad Te evolabo. Scio enim

nim quod alas mihi nequeas denegare.

O Educ de Carcere Animam meam.

Hora Octava.

I. *Memento* MORI. *Somnus Mortis imago.* Quid Mortem adeo fugis, qui ipsius imaginem sic amplecteris?

II. *Memento* VIVERE. *Lege Sacras Scripturas.* Lege autem 1. Devote. 2. Constanter. 3. Prudenter.

III. *Memento* ORARE.

Lucerna pedibus meis Domine verbum tuum: & *Lumen* semitis meis.

Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo!

Eloquia Domini, eloquia casta: argentum igne examinatum, probatum terræ, purgatum septuplum.

Benedicte Deus concede mihi ut SS. Scripturas ita audiam, legam, observem, discam & mediter, ut per patientiam, & consolationem earum amplectar, & indesinenter retineam

beatam

beatam spem vitæ illius æternæ, quæ mihi data est in Servatore Jesu Christo.

IV. Memento MEDITARI: Et cogita *Scalam Creaturarum.*

1. Considera: & quære, an aliquid sit quod vel videas, vel cogites, vel etiam cogitare possis, per quod nequeas *disponere ascensiones in corde*, ad videndum & cogitandum Deum tuum? Nihil sane video, nihil cogito, nihil videre aut cogitare possum, quod non mihi *Scalam ascensionis* in Deum fabricare aptum sit.

2. Debeo igitur ex omnibus quæ video, quæque cogito, mihi *Scalam* fabricare ad Deum meum.

3. Non vero fabricavi: at me pœnitet non fabricasse: Saltem quam maxime pœnitet, me *Scalam Descensionis* a Te, mi amantissime Deus, fabricasse.

4. Nunc autem, Tibi gratias agens, firmiter propono, Scalam hanc per quam a Te descensi penitus relinquere: & nunc relinquo: non rursus fabricabo: non rursus utar. Confringe illam, mi Deus, ne utar.

5. At-

5. Atque ſic ad Te, in omnibus, & per omnia Scandam; & in unaquaque re *Scalam* ad Te ducentem inveniam. Tu autem diriges, & ſuſtinebis greſſus meos.

Hora Nona.

I. Memento MORI. *Vita Somnium.* Cum *ſomnium* tuum ſomniaveris, dic, quid invenies in manibus tuis? Nunc igitur

II. *Memento* VIVERE: Et cogita *Exempla*; ut cum *ſomnium* hoc præterierit, aliquid invenias. Intuere illorum exempla, qui ita hic vixerunt, ac ſi Mundum hunc Somnium reputaſſent: intuere S. S. Patrum fervida exempla, in quibus vera perfectio refulſit, & religio: & videbis quam modicum, & pene nihil ſit quod nos agimus. Heu quid eſt vita noſtra ſi illis fuerit comparata? Sancti & amici Chriſti Domino ſervierunt in fame & ſiti, &c. *Th. à Kemp. Imit. Chr.* Lib. 1. Cap. 18.

III. Me-

III. Memento ORARE.

I.

Omnipotens Deus, qui omnes electos tuos conjunxisti in una communione & societate mystici corporis D. N. *Jesu* Christi, da ut omnes sanctos tuos in omni Virtute bonisque operibus imiter, ut ad ineffabilia illa gaudia, quæ Te sincere diligentibus præparasti, perveniam, per Jesum Christum D. N. *Lit. Ang.*

II.

O quam pulchra est casta generatio cum claritate! immortalis enim est memoria illius: quoniam & apud Deum nota est, & apud homines.

Cum præsens est *imitantur* illam: & desiderant eam cum se eduxerit:

Et in perpetuum coronata triumphat, incoinquinatorum certaminum præmium vincens.

Multigena autem impiorum multitudo non erit utilis; velut *Somnium* avolans non invenietur, & transiet sicut *visio nocturna.*

IV. Me-

IV. *Memento* MEDITARI: Et cogita *Scalam Dei*. Dormivit, viditque *Scalam* ſtantem ſuper terram, & DOMINUM innixum Scalæ. *Gen.* 28. 12, 13.

1. *Conſideratio* Prima. Non aſcenditur ad Deum ſine Deo. 2a. Deus omnibus illum per *Creaturam Scalam* quærentibus, ſeipſum demittit manifeſtatque. 3a. Scala Dei ad Mentem eſt *Lumen Divinum*, ſive Gratia D. N. *Jeſu Chriſti*. 4a. Scala Mentis ad Deum per *Creaturas*, & Scala Dei ad Mentem per *Gratiam* conjungi debent.

2. *Reflexio* 1a. Tua Scala, O mea Anima, Cœlorum expugnationem ſruſtra tentabit: ad Deum propriis viribus aſcendere non es ſufficiens. 2a. Licet per te ſufficiens non ſis, tentare tamen debes; ut Deus ad te quærentem deſcendat, 3a. Deum ad te deſcendentem non potes accipere, niſi per *Fidem*, 4a. Non potes cum illo rurſus aſcendere, niſi per *Spem*, in D.N. *Jeſum Chriſtum*.

3. *Senſatio* 1a. Heu! propriis viribus

ribus nimium innixus fum 2a. Nec tamen eis usus fum satis, ut Te, mi Deus, quæram. 3a. Imo neque Te ad meipsum descendentem accepi, ut debui, pura cum *Fide*. 4a. Neque Te, proh dolor! comitatus, ut debui, Sancta cum *Spe*. 5a. Sed *Lumen Divinum* repuli, & ad *Tenebras* meas sæpius, iterum ac iterum, reversus sum; & Te relinquens ad *Creaturas* conversus sum.

4. Non propriis igitur viribus amplius innitar; nec tamen ab earum exercitio me retineam; neque Deum descendentem admittere unquam iterum recusabo; neque illum comitari unquam laborem ducam; neque *Lumen Divinum* repellam; neque ad Tenebras meas iterum revertar, vel ad creaturas convertar.

5. Sed meis viribus diffisus, eis ita semper utar, ut Tu mihi obviam factus quem amat anima mea, moveas doceasque, quomodo Tecum ascendere possim. Ne autem unquam recedas a me, *vigilabo* semper.

Vigi-

Vigilandum est mihi, nescio enim, quando Dominus veniat, an Galli cantu, i. e. vigilia tertia; ne cum venerit repente, inveniat me *dormientem*.

Hora Decima.

I. *Memento* MORI: Et *Vigila*. Beati servi illi, quos cum venerit Dominus, invenerit *vigilantes*.

II. *Memento* VIVERE: Et *Institutiones sacras ne contemnas*. Reverentiam ac illam devotionem serio cogita, quibus precibus publicis, ac Sacramentis interesse debes.

III. *Memento* ORARE.

I.

Benignissime Domine, qui discipulos tuos *vigilare* & *orare* jussisti, fac me ejusdem præcepti ita semper memorem esse, ut Te dignante beatus esse possim. *Amen*.

II.

Misericordissime Deus cor meum ita dirigere, sanctificare ac regere dig-

dignare, ut debita reverentia ſanctum tuum verbum excipere, precibus publicis aſſiſtere, Sacrarumque omnium Inſtitutionum & Sacramentorum particeps eſſe poſſim.

IV. *Memento* MEDITARI.

Mundus viſibilis.

1. Deſcende O anima per Mundi univerſi materiam: vaſtiſſima ac innumerabilia ejus Syſtemata contemplare. Deinde hanc Terrellam viſita: ſuperficiem ejus ab hominibus habitatam, omnes rerum terreſtium ſpecies, ac præcipue minutiſſimorum animalculorum artificium conſidera: ſuperficie ita contemplata, in ejus viſcera deſcende, &c.

2. Magnitudinem igitur, Sapientiam & Bonitatem Creatoris debeo admirari ac laudare; coramque illo memet humiliare, quantum poſſibile eſt.

3. Non vero Te magnificentiſſime, Optime Creator admiratus ſum, ut debui, Nec Te laudavi in operibus tuis, niſi perraro; alios ſaltem ad Te laudandum non invitavi, ut debui, utque potui: neque

meipsum coram te humiliavi. At nunc humiliatus sum: neque pœnitet opera tua tam negligenter unquam inspexisse.

4. Non vero tam negligenter iterum inspiciam: neque coram Creatore meo superbire progrediar.

5. Sed in omnibus operibus tuis Te benedicam, Te laudabo, Te contemplabor ac admirabor; meque infimam creaturam tuam, quia indignissimam ac ingratissimam, humiliabo; ut Creatorem meum recipere possim.

Domine non sum dignus ut intres.

Hora Undecima.

I. *Memento* MORI: Et cogita. *Damnatorum inania vota.*

II. *Memento* VIVERE: Et fige tibi *rectam intentionem*; ita nunquam aberrare poteris. Omne quodcunque facitis, in verbo aut in opere, omnia in nomine Domi-

ni

ni noſtri *Jeſu Chriſti facite Col.* 3.

III. *Memento* ORARE.

Adjuva me, benigniſſime Domine, ut in omnibus Te ſolum amem; idque ſimpliciter, ſincere ac pure. *Amen.*

IV. *Memento* MEDITARI.

Mundus Inviſibilis.

1. Si Mundus viſibilis ac inferior tales habet pulchritudines, quales mundum inviſibilem habere oportet?

Mens humana,	Dominationes,
Angeli,	Principatus,
Archangeli	Poteſtates,
Virtutes	Cherubim,
Throni	Seraphim,

Anima CHRISTI:

2. Deum certe cum his omnibus laudare ac adorare debeo.

3. Nondum vero laudavi ac adoravi, ac ſi tales ſocios me habere noviſſem. O ſtultitiam meam! ut id negligerem.

4. Non negligam amplius.

5. Sed me totum in laudes tuas dehinc convertam.

Gloria in excelsis Deo.
Te Deum laudamus, &c.

Hora Duodecima.

I. *Memento* MORI: Et *Martyrium* cogita: esto fidelis usque ad Mortem, & dabit tibi Christus coronam Vitæ.

II. *Memento* VIVERE: Et *Alacritatem* tuam ostende, te patriam cælestem quærere memor. *Gaudete in Domino semper: iterum, dico, gaudete*, Phil. 4. 4.

III. *Memento* ORARE.

Gaudium vultus tui ne auferas a me, Domine, per Jesum Christum. Nox præcessit dies appropinquat, abjicere ergo opera tenebrarum, & induere arma lucis da mihi, per Jesum Christum. *Amen.*

IV. *Memento* MEDITARI: Et *Infinitum* cogita.

1. *Infinitum* aliquid in omnibus Dei operibus relucet: *infinita* Potentia, Sapientia, Bonitas undique appare-

apparet: Divisio *infinita* extensionis, Desiderium *infinitum* Cogitationis, gloriam Domini enarrant. At quis, O mi Deus, misericordiam tuam *infinitam* erga nos homines, & erga me præcipue potest enarrare?

2. Nulla datur proportio *finiti* ad *infinitum*. Quid Deo igitur retribuam? Ubi non possum quæ debeo, debeo saltem quæ possum.

3. Non retribui vero adhuc quæ potui; licet illud quod *debeo* est infinities majus quam quod *possum*. Nec hoc tantum, sed & quod longe calamitosius est, ubi etiam *nec debui* aliquid, tribui frequenter id totum quod *potui*.

4. Non tribuam autem amplius.

5. Et cum non possim quæ *debeo*, Deo saltem retribuere posthac conabor, quæ *possum*, sed si donavero, quicquid *sum*, quicquid *possum*, quicquid *habeo*, hoc omne est ad *Infinitum*, Nihil. Id totum quoque quod *habeo*, quod *possum*, quod *sum*, a Te; O Deus, recepi: Et *sine Te* nequicquam omnino, vel *habeo* vel *possum*

vel *sum*. Id totum Tibi igitur habe, totumque posside, in sæcula infinita. *Amen.*

Post Tenebras spero Lucem.

HOROLOGIUM PARVUM

APHORISMI. C.

DE AMORE.

I.

Spiritus qui per solam cogitationem *uniri* possunt, (per LI. B.) non per modum *Ideæ*, sed per modum *Inclinationis* uniuntur.

II.

Amor est cogitatio per modum Inclinationis versus aliquid.

III.

Amoris forma, est *Conversio*, & accessus [Mentis] ad Objectum: finis, *Unio* cum illo Objecto.

IV.

Ut duo spiritus per modum Inclinationis uniantur, necessario requiritur

ritur, ut uterque Spiritus moveatur se invicem versus, reciproco Inclinationis motu.

V.

Deus versus Mentes humanas movetur motu Inclinationis.

VI.

Tametsi Deus moveatur motu Inclinationis versus Spiritum aliquem, impossibile tamen est ut cum illo Spiritu uniatur, si iste Spiritus moveatur motu declinationis Hinc.

VII.

Impossibile est ut Spiritus sit *felix*, (per LXXVII. A.) nisi Deum versus moveatur motu Inclinationis: *vel*, Impossibile est ut Deus Spiritui alicui, *Felicitatem* daret, si iste Spiritus Deum amare non velit.

VIII.

Deus, qui Creaturam Cogitantem igitur creavit, ut cum se *uniatur*, & a se *dependeat*, (per XXI. A.) est ultimum & proprium cogitationis per modum Inclinationis, Objectum.

IX.

Amor in Spiritu cum corpore organiço, unito, eſt vel per modum Inclinationis puri Intellectus, qui *Intellectus* poteſt vocari, aut Dilectio: vel per modum Inclinationis Affectuum, ſive Mentis ut cum Corpore intime unitæ; qui *Senſitivus* poteſt vocari, aut *Affectio*.

X.

Amor Senſitivus legitime ac juxta Naturam dependet ab Amore Intellectivo: Amor vero Intellectivus non dependet a Senſitivo niſi violenter, & præter naturam per VIII. A. *Proinde*.

XI.

Affectio debet ſemper Dilectioni ſubjici; ſive, motus Affectuum debet nunquam præcedere Intellectus motum, vel illi contrariari.

XII.

Quandocunque Affectio præcedit Dilectionem, tunc Mens eſt *tenebrarum* plena; quandocunque illi contrariatur, tunc eſt *pœnarum* plena.

XIII.

Ut proprium *Dilectionis* noſtræ

Obje-

Objectum est DEUS; ita proprium *Affectionis* nostræ Objectum est CHRISTI *Humanitas.*

XIV.

Quicunque summum aliud Dilectionis suæ Objectum proponit præter *Deum*, necessario debet in pœnas & anxietates incidere.

XV.

Quicunque summum aliud Affectionis suæ Objectum præter Christi *Humanitatem* proponit, necessario etiam debet in pœnas & anxietates incidere.

XVI.

Quicunque Creaturam aliquam sibi summum Dilectionis objectum statuit, illam *Dei* loco ponit: Atque hoc est *Idololatria.*

XVII.

Quicunque Creaturam aliquam Christi Humanitate inferiorem, sibi supremum Affectionis tantum Objectum statuit, illam *Christi* loco ponit: ac a Lumine illo Divino amotus, non potest non esse *tenebrarum* plenus.

XVIII.

Quicunque Creaturam, aliam præter Christi *Humanitatem*, sibi supremum Affectionis Objectum statuit, is non potest cum Verbo *uniri*, quod *Caro factum est*, vel immediate, vel mediate; nec consequenter cum Deo.

XIX.

Erga Materiale quicquam plus *affici*, quam erga Verbum *Incarnatum*, est maximum indicium Vitæ *secundum Corpus*; estque proprie *Brutalitas*.

XX.

Quicunque Deum sibi summum Dilectionis Objectum statuit, is Dei voluntati obsecundare, non tantum non laborem, sed & delectationem esse existimat.

XXI.

Quicunque Deum sibi summum Dilectionis Objectum statuit, is in minutiis, aut Externis quibuscunque nihil, aut perparum ad modum collocare potest.

XXII.

XXII.

Qui Deum sibi Timoris magis quam Dilectionis objectum faciunt, hi Dei *vindictam* metuentes, multum ut illam devitent, laborare ac pati possunt; & circa res externas & cortices maxime conversati, officium suum non perfecte tantum exequi, sed & excedere, nec a Deo tantum *mereri* contenti, sed vel etiam *supererogare* se posse frequenter existimant, atque ita Deum se adulari misere cogunt: Atque hoc *est Superstitio.*

XXIII.

Pius, est Dei amicus: Superstitiosus est Dei adulator.

XXIV.

Quicunque in Deum Affectione inclinatur, vel inclinari videri cupit, is ad Deum in *Imaginatione* tantum convertitur, Deumque imaginarium amplectitur: Atque hoc est *Enthusiasmus.*

XXV.

Qui ad Deum in *Imaginatione* tantum convertitur, is se intimam cum Deo conversationem habere, novas

ab

ab eo revelationes accipere, visiones videre, miracula facere, & alia istiusmodi facile credit. *Sed tamen*

XXVI.

Ille qui ad Deum per Dilectionem inclinatur, non potest semper discerni ab illo qui per Affectionem.

XXVII.

Omnis Amor sive sit Dilectio, sive Affectio, est Amor Unionis.

XXVIII.

Amor qui respectu *ad se*, est tantum Unionis, respectu *ad Objectum*, est vel *simplicis Unionis*, vel *Benevolentiæ*.

XXIX.

Quicunque aliquid amore Unionis amat, is illi quem amat non potest non *bona velle*, & si capax sit *bona* etiam *facere*.

XXX.

Verus Dei amator res creatas non ob aliam causam amat, nisi quia Dei sunt Imagines, vel Umbræ; & quanto magis Deo similiores sunt amat laudatque.

XXXI.

XXXI.

Ut infinita Dei Pulchritudo potest Menti in infinitum magis ac magis manifestari, ita Mens Deum in infinitum magis ac magis diligere potest, & cum illo per dilectionem *uniri*.

H. I. *Deus est omnibus Essentia.*

Tu solum es Ens *absolutum*: reliqua omnia Entia sunt Entia tantum per *participationem*. Tu omnium Entium essentiam supereminenter in Te possides. Cuncta a Te processerunt, vel ut Tui *Imagines*, vel ut *Umbræ*: res Spirituales ut *Imagines*, res Materiales ut *Umbræ*. Ego qui Umbram ita deperii, an ipsam Substantiam non amabo?

H. II. *Deus est omnibus Lumen. Dominus illuminatio mea.*

H. III. *Deus est omnibus Gaudium.*

Gaudium frustra alibi, quam in Deo quæris, O mea Anima: illum *ama*, & in eo, & cum eo semper *gaudebis*.

H. IV. *Ego sum mihi* Privationis *fons.*

Nihil

Nihil ſum, *nihil* habeo ſine Te, mi Deus; Tu es Eſſentiæ meæ, ego nihili, & Privationis fons. Ad quem igitur me convertam niſi ad Te O mea *Vita*! O meum *Eſſe*?

H. V. *Ego ſum mihi* Tenebrarum *fons.*

Abſit ut *Tenebras* potius quam *Lucem* diligam.

H. VI. *Ego ſum mihi* Pœnarum *fons.*

Abſit ut *Pœnas Gaudio* præferam.

H. VII. *Deus eſt* Amor.

O infinita Pulchritudo, O infinite Amor, quid faciam ut Tu in me maneas, & ego in Te? *Amantem Amo.*

H. VIII. *Deus ſolus eſt proprium* Dilectionis meæ *Objectum.*

Cur alia diligis O ſtulte Idololatra, & Deum tuum non diligis, quem ſolum propter ſe diligere debes?

H. IX. *Chriſti Humanitas eſt* Affectionis *meæ Objectum.*

Amor meus Crucifixus eſt.

H. X. *Verus piuſque Amator eſt ſolus* liber.

O Chariſſima ac dulciſſima *libertas* quam te amat anima mea! Abſit ut

ut *Servitutem Libertati* unquam præferam.

H. XI. *Verus piusque Amator est solus* Rex.

Dei Dilectio est vera. Vitæ *Corona:* per hanc solam nulli nisi Deo subjiceris, & super Creaturas dominium obtinens, *in* Deo, & *cum* Deo *regnas.*

Ho. ultima. *Verus piusque Amator Cœlum ubique invenit.*

Nec ignes, nec enses, nec furcas metuam, dummodo *amare* possim. Ignes, enses, furcas, Tui *Amor*, mi Deus, facile superabit: & in his omnibus, si Te habere possim, Cœlum inveniam.

Ad singulas *Horas.*

Deus meus, & Omnia.
Benedictus Deus.
Miserere.
Fiat Voluntas Tua, non mea.

FINIS.

OFFICIUM

Viri

SAPIENTIÆ Studiosi.

Marsil. Ficin. Ep. Lib. 1.

Illud imprimis stultissimum non judicare non possum, quod multi bestiam *quidem suam imo* feram *noxiam & indomitam, hoc est* Corpus *pascant diligentissime; seipsos autem, id est* Animum *ipsum, quantum in eis est, fame perire permittunt.*

OXONII,
Typis *L. Lichfield.* A. D. 1689.

DE universis quæ intelligimus, non loquentem qui personat foris; *sed* intus *ipsi Menti præsidentem consulimus* Veritatem: *Verbis fortasse ut consulamus* admoniti. *Ille autem qui consulitur* docet, *qui in interiore homine habitare dictus est CHRISTUS, id est, incommutabilis Dei Virtus, atque Sempiterna* Sapientia: *quam quidem omnis rationalis Anima consulit, sed* tantum *cuique panditur*, quantum *capere propter sive malam, sive bonam voluntatem potest. Et si quando fallitur, non fit vitio consultæ* Veritatis; *ut neque hujus, quæ* foris *est*, Lucis *vitium est, quod corporei oculi sæpe falluntur.*

OFFI-

OFFICIUM

Viri

SAPIENTIÆ

Studiosi.

APHORISMI. D.

I.

Mens eas a Deo vires accepit, quibus *Deum* in infinitum magis ac magis cognoscere possit. *Hinc*

II.

Unusquisque ut *Deum* infinitum magis ac magis cognoscat, debet laborare.

III.

Mens eas a Deo vires accepit quibus *Dei opera*, in infinitum magis ac magis cognoscere possit. *Hinc*

IV.

Unusquisque ut *Dei opera* in infinitum magis ac magis cognoscat, debet laborare.

V. Mens

V.

Mens eas a Deo vires accepit, quas recte applicando *nunquam* possit *falli. Hinc*

VI.

Unusquisque ut *nunquam fallatur* debet laborare.

VI'.

Is frustra *Deum* cognoscere laborat, qui *Lumen Divinum* non consulit.

VIII.

Is frustra *Dei opera* cognoscere laborat, qui ipsum horum *Autorem* & *exemplar* non prius noverit.

IX.

Cognitio omnis a Dei Cognitione & existentia dependet, illamque præsupponit.

X.

Is frustra ut *nunquam fallatur* laborat, qui Lumen Divinum falli nescium, per usum Virium suarum rectum, consulere omittit.

XI.

Qui Lumen Divinum, per usum Virium suarum rectum, consulit; is quicquid in *distincta & clara* alicujus

jus Idæa contineri videt, de illo *affirmat*.

XII.

Qui Lumen Divinum, per usum Virium suarum rectum, consulit; is quicquid in alicujus Idæa non contineri *clare & distincte* videt, de illo *negat*.

XIII.

Quicunque nihil *verum* esse judicat præter illud, quod Lumine Divino consulto, in distincta & clara alicujus Idæa *contineri* videt; & nihil *falsum* esse asserit, præter illud quod in alicujus Idæa, postquam Lumen idem consuluit *non contineri* clare & distincte videt; nunquam potest falli.

XIV.

Mens per rectum Virium suarum quicquid in rei alicujus Idæa confuse tantum videt, illud neque asserit, neque negat: sed assensum in alterutram partem cohibet, quamdiu cohibere potest.

XV.

Mens ut Deum, Deique opera in infinitum magis ac magis cognosce-

re,

re, utque ab omni errore immunis semper maneat, Vires quas a Deo in hunc finem accepit, non tantum ne efficaciam suam amittant curare, (per I B.) sed eandem retinere & confortare debet.

XVI.

Noluit Deus sibi semper constans, ut Vires hæ quas Menti indidit debilitentur, sive ut efficaciam quam ab illo acceperant, amitterent. *Hinc*

XVII.

Non potuit Deus vires has debilitare: vel illarum efficaciam tollere.

XVIII.

Quicunque opus suum destruit aut debilitat, est necessario vel *Impotens*, vel *Insipiens*, vel *Malus*.

XIX.

Mens sola Vires has suas debilitare, illarumque efficaciam tollere potuit.

XX.

Mens non potuit Vires suas, quas a Deo accepit, debilitare, illarum-

que

que efficaciam tollere, quamdiu illas a Deo per Unionem ac Dependentiam illustrari permisit: *At*

XXI.

Quamprimum Mens Vires suas a Deo *illustrari* recusavit, aut neglexit, neque Deum recognoscere voluit tanquam earum *Lumen*; impossibile fuit ut earum efficacia perfecta & sana amplius retineretur.

XXII.

Quamprimum Mens Deum ut *Lumen* suum recognoscere male contenta, *Deo similis* esse, (*Gen.* 3.) hoc est, Lumen suum non ab ipso mutuare, sed suum sibi-ipsi Lumen esse concupivit; impossibile tunc erat, ut Virium suarum efficacia perfecta & sana amplius retineretur. *Atque ita*

XXIII.

Sapientia Animalis, per *Scientiam boni & mali* quæsita, facta est cum Deo Stultitia: & per *Luminis Divini* exclusionem primo ortæ sunt in Mente *Tenebræ*.

XXIV.

XXIV.

Mens non potuit Vires suas debilitare, quamdiu illas a Deo illustratas, non a *Corpore*, per Unionem ac Dependentiam, *foras* ultra modum, refringi permisit.

XXV.

Quamprimum Mens Vires suas a *Corpore* foras sic refringi permisit, clare & distincte cogitare desuevit. & cogitationes inordinatas ac vagantes admisit.

XXVI.

Mens non potest Virium suarum efficaciam recuperare, nisi per accessum suum ad Christum quem ut *Sapientiam Dei æternam, Lucem veram quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, Verbum* [sive *Rationem*] *apud Deum & Magistrum* suum recognoscere & consulere debet; sine quo nihil aliud est præter principium quoddam Tenebrarum, & Confusionis, per Aph. CXXXII. A.

XXVII.

Cum Mens per inordinatam Lucis Divinæ *refractionem*, vel *exclusionem*,

mem, a Corporis Unione ac Dependentia (per XXIV & XXV.) proxenientem, vires suas debilitaverit; non potest illarum efficaciam recuperare, per accessum suum ad Lumen Divinum, nisi se a Corpore quam maxime abstrahat ac abducat.

XXVIII.

Scientiæ Mathematicæ ad Mentem a Corpore, in hunc finem abstrahendam, ac abducendam, sunt apprime utiles.

XXIX.

Secundum proportionem qua Mens seipsum a Corpore abstrahere ac abducere progreditur, se ipsam a Deceptione & *Errore* liberare progreditur: Et secundum proportionem qua Mens ita abstracta, ad Lumen Divinum se convertere progreditur, Illuminationem & *Veritatem* invenit.

XXX.

Veritas omnis est vel *Catholica*, vel *Revelata*.

XXXI.

Veritas *Catholica* per ordinarium

& *generalem* Dei illuminationem, omnibus illam recte quærentibus innotescit: Veritas *Revelata*, non nisi per extraordinariam & *particularem* Dei illuminationem, quibusdam vel *immediate*, vel per traditionem legitimam *mediate*, manifestatur.

XXXIX.

Inter Veritates *Catholicas* hæ præcipuæ numerantur. Quod est maximæ suæ partis, Deus est, Unusquisque ad probam virium suarum conformationem & exercitationem tenetur. Status futurus vel felicitatis, vel miseriæ expectandus est.

XXXIII.

Veritas *Catholica* & Veritas *Revelata* non repugnant; sed se mutuo confirmant.

XXXIV.

Veritatis Catholicæ Apprehensio *Ratio* vocatur; Veritatis Revelatæ, *Fides*, quæ non est nisi Ratio perfecta per Aphorismos.

XXXV.

Veritas Revelata non potest *immediate*, ac primo innotescere, vel

dignosci nisi per Veritatem Catholicam. *Et multo magis.*

XXXVI.

Veritas Revelata non potest *mediate*, & per Traditionem legitimam innotescere, vel dignosci, nisi per Veritatem eandem Catholicam.

XXXVII.

Traditio Veritatis Revelatæ legitima, debet esse scripta.

XXXVIII.

Quicunque Veritatem Revelatam scriptam, sibi perfecte innotescere cupit per Veritatem Catholicam; eum Linguam imprimis illam callere oportet, in qua conscripta est.

XXXIX.

Nec tamen qui Linguam aliquam aut Verba didicit, ex aliquid *didicisse* existimare debet: sed per verba solummodo *admoneri*, ut discat.

XL.

Quicunque Veritatem Revelatam scriptam sibi perfecte, Verita-

tis Catholicæ ope innotescere cupit; is Historias, & Scripta istius temporis, in quo Veritas ista revelata esse dicitur, perscrutari debet.

XLI.

Nec tamen per nudam istius temporis historiarum, librorumque scrutationem & lectionem, Veritatem *discere*; sed ut Veritatem discat, solummodo *admoneri* potest.

XLII.

Quicunque Veritatem Revelatam scriptam sibi perfecte, Veritatis Catholicæ ope, innotescere cupit; is ut per *veram Philosophiam*, Vires suas ad *Lumen Divinum* recte applicet; atque Judicium inde limatum ac acutum comparat, laborare debet.

XLIII.

Vir, *Sapientiæ Studiosus*, ut Vires suas a Deo acceptas tum per *Verba*, tum per *Historias*, tum per *Philosophiam*, ad Lumen Divinum recte applicet determinetque; ita ut

ut Veritatem Catholicam deprehendat, & Revelatam non negligat, neque hanc ita præferat, ut illam nimis contemnat; sed ut utrumque possideat, quam maxime insudabit.

XLIV.

Ratio, sive Dei cognitio per Veritatem Catholicam, est Sapientiæ initium; *Fides*, medium; *Contemplatio* finis. *Hinc*

XLV.

Ratio efficaciam suam amittit quando *Mentem* ad *Fidem* non ducit: ut & *Fides* suam, quando Mentem ad *Contemplationem* non ducit.

XLVI.

Mens veræ *Contemplationi* apta esse non potest, antequam *Corporis* Unionem ac Dependentiam *perfectè* disruperit, & ad *Dei* Unionem ac Dependentiam restituta fuerit.

Impossibile est ut quis Deum

 videat,

videat, [sive, *contempletur*,] & non moriatur [secundum *Carnem*.]

I.

Domine Deus misericordiæ, omnia Tu *Verbo* tuo fecisti:

Et *Sapientiæ* tuæ constituisti hominem.

At Stultus sum ego, & rerum ignarus; Et Scientia tua non est mecum.

O utinam mecum sit!

Etiam puer sum, & parvulus, ignorans ingressum & exitum meum.

O si semitas meas cognoscerem!

Nequicquam per *meipsum* valeo cognoscere: omnia autem in Te cognoscere possum.

Deus æterne, & absconditorum cognitor, qui nec falli nec fallere potes, qui omnia distinctissime ac perfectissime in Te ipso contemplaris, agnosco insciti am meam coram Te: nescio ego, nec intelligo, quoniam *hebetudo* tanta est ut non videant oculi mei, & cor meum non cognoscat: Da igitur, obsecro, secundum

eundum magnam misericordiam tuam, Lucem tuam, & cor docile servo tuo. O mitte desuper Spiritum Sapientiæ tuæ, & sensu illius animum meum imple.

II.

Habe fiduciam in Domino ex toto corde tuo, & me innitaris prudentiæ *tuæ*.

In omnibus viis tuis cogita illum, & ipse diriget gressus tuos.

Ne sis Sapiens apud *temetipsum*, & ipse erit Illuminatio tua.

Tunc ambulabis fiducialiter in via tua, & pes tuus non impinget.

Non impinges aut errabis unquam, si Lumen in *Deo*, & non in *Teipso* quæsiveris.

Pater *Luminum* ego in *Tenebris* densissimis versor, & *Tenebras* meum circumfero, Tu Deus es *Lux* mea: *illumina* mentem, ut *Veritatem*, quæ *ipse* es, cognoscam, sequar, teneam.

III. A

III.

A *Deo* profecta est Sapientia: Omnis Sapientia a Domino Deo est; & cum illo fuit semper, & est ante ævum.

Fons Sapientiæ *Verbum* [Ratio] Dei in excelsis: & ingressus illius mandata æterna.

O altitudo divitiarum Sapientiæ & Scientiæ Dei! quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus

IV.

Hominibus thesaurus indeficiens es, *O Sapientia*, qua qui usi sunt participes facti sunt amicitiæ Dei.

Tecum sunt Divitiæ & gloria:
Tecum opes incorruptibiles:
Qui Te invenerit, invenit Vitam:
Qui Te non amat, diligit mortem.

Ut Sapientiam hanc tuam, Deus Sapientissime, in infinitum magis ac magis amare, ac prosequi possim; ut magis illa mihi placeat quam millia

lia auri & argenti, & in via ejus plus delecter quam ingenti divitiarum copia,

Concede misericors.

V.

Ostende Domine faciem tuam, ut in *Lumine* vultus tui videam *lucem*.

Firmetur Sapientia in animo meo, & Legem tuam in corde meo scribe.

Super omnia quæ speciosa sunt, & pulchra Sapientiam desidero: in comparatione illius divitias non æstimo.

Quam amo Sapientiam tuam Domine? hæc unica meditatio mea est.

VI.

Cogitationes mortalium timidæ, & incertæ providentiæ nostræ.

Rationes hominum in multis deficiunt, & parum securæ adinventiones eorum.

Corpus quod corrumpitur, *aggravat* Anima: Et *terrenum* domicilium

um *retardat* Mentem multa cogitantem.

Difficilia æstimamus quæ in terris sunt & quæ in prospectu sunt invenimus cum labore.

Quæ autem in cœlis sunt quis investigabit, nisi Tu dederis Sapientiam tuam.

O Domine Deus salutis meæ exaudi precem meam; da sedium tuarum adsistricem *Sapientiam*, ut bonum & malum discernere possim, & occulta tua cognoscam. *Amen.*

VII.

Laudetur nomen tuum, Domine, non meum.

Magnificetur Domine opus tuum, non meum.

Benedicatur nomen sanctum tuum; nihil autem attribuatur mihi de laudibus hominum.

Da Gloriam nomini tuo, Domine: Tu enim solus es bonus & sapiens, & non est alius præter te Salvator.

Tu Gloria mea, Tu exultatio cordis

dis mei, in Te gloriabor, & exultabor tota die.

Eructabunt labia mea laudem, cum docueris me Sapientiam tuam.

Tunc enarrabo mirabilia Tua, ut alii etiam ad Te convertantur.

DEO LAUS.

FINIS.